Q. D. F. F. Q. E. J. 6.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

LAICI FORO ECCLESIASTICO,

QUAM,

ANNUENTE DIVINI NUMINIS GRATIA,

EX DECRETO

ILLUSTRIS JCTORUM ORDINIS LIPSIENSIS,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES RITE CAPESSENDI,

SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT,

CHRISTIAN. MICHAEL Bohn,

LIPSIENSIS.

D. XXI. OCTOBR. M DCC VII.

LIPSIÆ,

LITERIS FLEISCHERI JUNIORIS.

I. N. J.

PROEMIUM.

CUm dissertationem priorem, quam sub Præsidio Magnif. Domini D. Ittigii P.P. de Clerici foro seculari edidi, conscriberem, statim me non inanem operam susceptu-rum arbitratus sum, si, inversa rubrica, de Laici sive secularis foro Ecclesiastico nonnulla quoque congererem. Et sicut in illa exceptiones atque casus in quibus Clerici, non obstante communi ipsorum ordini concesso antiquitus privilegio, ad forum judicis secularis pertrahi possint: ita in hac illas contra exceptiones sub Examen revocavi, in quibus Laici, contra juris ordinarii Regulam, forum Ecclesiasticum ceu competens nanciscuntur. Ac ipsa rei natura poscebat, ut primum in genere Jura divina, aliarumque gentium consuetudines, præter Constitutiones Serenissimorum nostrorum Principum saluberrimas evolvendo curatius paulo disquirerem, num vel quatenus Clericis aliqua Jurisdictio competat? Deinceps qua ratione Laici, ex jure Actoris, Judicem Ecclesiasticum tanquam legitimum

agnoscere teneantur, disceptavi. Et demum quomodo Hi ex Jure Rei vel qualitate Personarum Ecclesiasticarum judicio subjiciantur, edisserui. Submitto hos meos conatus benevolo Lectoris Examini, &, ut DEUS Rempublicam nostram sartam tectamque servet, ardenter precor.

Cap. I.

De Laici foro Ecclesiastico in genere.

§. I.

DIvidi Jure Canonico homines in *Clericos* & *Laicos* satis notum est. Quinam illi sint, in nostra Dissertat. *c.1.* §. *1. De foro Clerici seculari* tradidimus; hi dicuntur a λαὸς Leyen, profani, populares, sacris non initiati: λαὸς enim græce, dicit Hieronymus *c.7.* §. *1. XII. qu. 1.* est *populus latine. Estque iis concessum uxorem ducere, terram colere, temporalia possidere, inter virum & virum judicare, causas agere, oblationes super altari apponere decimasque reddere.* Quæ verba plane omnia repetit Lancellotus *pr. J. Jur. Can. de Jure Person.* Vocantur alias mundani *L. 55.* §. *1. C. d. Episcop. & Cler.* it. seculari conversationi dediti. *L. 56. pr. C. Eodem.* Appellantur etiam Idiotæ *1. Cor. 14. v. 16.* ex versione quidem B. Lutheri, quod dictum repetit Sacratissimus Imperator in *Nov. 137. C. 6.* qui tamen, in Ordine Laicorum, idiotas existere, saltem asserit in *Nov. 6. c. 1.* §. *2.* Sub hac appellatione vero comprehenduntur & ipsi Imperatores ac Reges, uti luculenter apparet ex *c. 25. 31. X. d. Decim.* Docere Jus Civile in

Fran-

Francia, ab Honorio III. Papa interdictum ipsis fuit per *c. 28. X. d. Privileg. & Excess.* nec non disputare de rebus divinis, non minus ac etiam Clericis, sub gravi pœna, quæ de Jure Civili est arbitraria. *L. 4. C. d. Summ. Trinit.* De Jure Canonico est excommunicatio *c. 2.* §. *Inhibemus 1. de Hæret. in 6to.* Suntque juxta Canonistarum opinionem Papæ ejusque Clero indistincte subjecti, nec cuiquam licet judicare de istius judicio, in quacunque causa istud etiam interponat sive publica, sive privata. *juxta c. 17. pr. IX qv. 3.* neque ullus redarguere præsumat Summum istum Pontificem, etiamsi innumerabiles populos catervatim secum ducat in gehennam, *c. 6. Dist. 40.* Hinc illum audire Deum testatur *c. 7. Dist. 96. & c. 41. pr. XI. qv. 1.* ut plures alios ejusmodi flosculos silentio prætercam. Illud autem satis patere videtur, utrumque nomen & *Clericorum* & *Laicorum*, fastum Cleri papalis arguere, nam nascentis Christianismi temporibus, fideles omnes dictos esse Clericos, etiam Francisc. de Roy *J. J. C. l. 1. tit. 8.* §. *3.* fatetur ac ex Menzero in *Exeg. August. Confess. art. 14. p. 640.* notat B. Ziegl. in *not. ad Roy J. J. C. l. 1. tit. 9.* §. *1.* *Tredecies vocabulum κλήρου inveniri in novo testamento, nec tamen ullibi solis tribui personis ecclesiasticis.* Nobis interim, remota ambitione & contemtu, terminis receptis uti licebit.

§. II.

Alterum nostræ rubricæ verbum est *fori*, cujus & Etymologiam & Homonymiam & Synonymiam §. *2. dissertationis prioris* inseruimus, sumimusque illud pro loco judiciorum tam voluntariæ, quam contentiosæ, Jurisdictionis, vor die Gerichts-Stelle. Hæc autem fori suppositio ita est intelligenda, ut *subjectionem subalternam*, ob quam quis, certo in loco, actionibus aliisque remediis forensibus pulsari potest, ei innexam simul existimemus.

§. III.

Pergimus igitur ad tertium terminum, *Ecclesiastici.* Et descendit iste a vocabulo Ecclesiæ, quia Ecclesia quasi

præsidet isti Judicio. Hic vero quæstio præliminaris decidenda venit, *an Ecclesia, qua talis, Jurisdictionem habeat atque Judicium?* Circa quam illud primo observandum, per Ecclesiam hic non tam intelligi cœtum hominum, cultus divini gratia consociatum, quam potius personas Ecclesiasticas, seu Clerum, quemadmodum sensu pontificio, per Ecclesiam etiam intelligitur solus Prælatus vel Episcopus notante Gothofred. de Jena *de SCt. Maced. Sect. 4. aph. 11. n. 3.* Deinde antequam, quid mihi videatur, ostendam, breviter quid, circa illam quæstionem, ex diversis hypothesibus, dici possit vel soleat, indicabo.

§. IV.

Præter alios igitur, inprimis B. Ziegler. *de Superindent: c. 8. 16.* pluribus contendit, Ecclesiam ipsam, nullam omnino habere jurisdictionem, proprie ita dictam, nam, ut verba *d. c. 16.* §. *1.* fluunt, *Jurisdictio est de causa cognoscendi, judicandi, judicatique exequendi potestas, adeo, ut non in sola cognitione, sed etiam executione, quæ potestatem coactivam conjunctam habet, consistat. Talis autem potestas Ecclesiæ, a fundatore suo Christo, nullibi concessa legitur. Omnis ejus occupatio versatur in conversione hominis ad salutem æternam, quæ, quia mere spiritualis est, non aliis, nisi mediis spiritualibus obtineri poterit. Siquidem anima, ut proprium subjectum doctrinæ Evangelicæ, interno solum, non externo, movetur principio. Atque inde sequitur, Ecclesiam jure divino, & per naturam suam, neque territorium habere, neque jus gladii, neque jus fori contentiosi, neque proinde jurisdictionem, aut coërcendi potestatem.* Atque illa sententia ex ipso jure Canonico quodammodo etiam stabiliri posse videtur. Illo enim, secularibus se immiscere negotiis, Clericis plane prohibitum fuit per *tot. tit. Decret. ne Cler. secul. negot. se immisc.* ut videtur ex D. Pauli dicto: *nemo militans Deo, implicet se negotiis secularibus*, quod & Concilium Lateranense ac Tridentinum approbavere, certis conceptis

hac

hac de re Canonibus, prout Zypæus *Tract. Iudex*, testatur *l. 1. c. 37.* Neque his nunc obstabunt, vel circa disciplinam ac bonum ordinem conservandum disponendi aliqua potestas, Ecclesiæ concessa, vel judicia Ecclesiastica, jamdiu instituta: Hæc namque sunt externa, ac ex concessione vel conniventia Politici Magistratus dependent; Alias enim, si judicia ecclesiastica de necessitate & substantia Ecclesiæ essent, non potuisset hæc subsistere sub magistratibus ethnicis, qui talia judicia, qualia sub Imperatoribus christianis invaluerunt, ipsi non indulsere. Ipsa denique brachii secularis imploratio, de qua passim in jure Canonico agitur, istam responsionem amplius corroborat.

§. V.

Qui vero Jurisdictionem Clero competentem adstruere conantur, producunt istam, ut Zypæus *d. Jurisd. L. 2. c. 86.* & Carleval. *de judic. T. 1. D. 2. n. 398* a Christo, qui cum supremus sit in hoc terrarum orbe, cum Patre suo & Spiritu Sancto, necesse etiam esse ut istius vicarius, nempe Papa, & ab hoc descendens Clerus, curam debeat gerere justitiæ, sique forsitan P. P. velint aliquem supprimere, denegantes ipsi Justitiam ad Papam dari Appellationem tanquam ad Deum, omnium in omnibus malis tutissimum asylum, quo etiam tendit *c. 10. Dist. 96.* Sed quomodo superioritatem Canonistæ asserere poterunt judicio ecclesiastico, cum, disputando *κατ᾽ ἄνθρωπον*, imploratio brachii secularis subjectionem quandam designare videatur? Negant hoc quidem illi, dicentes, secularem magistratum præcise illud concedere teneri, imo ad illud concedendum cogi posse, per textus *C. 4. X. d. majoritate & obedientia. C. 2. X. eodem. C. 26. Caus. 23. qv. 5. C. 9. §. fin. X. d. Hæret. C. 13. §. moneantur 3. X. eodem.* Sed his eadem probabilitate regeri potest, illum magistratum esse inferiorem altero, cujus auxilium implorat; Accedit, quod magistratus secularis brachium Ecclesiastico non teneatur præstare, nisi juste invocetur, ideo-

ideoque illum summariam causæ cognitionem adhibere posse, antequam illud concedatur, quia scilicet in executionibus faciendis, Judex secularis potius debet servare suam consvetudinem, quam præceptum Ecclesiastici de executione sine causæ cognitione facienda. Et hinc non debet exequi sententiam Ecclesiastici, si forsitan nullitas processus appareat ex Actis e. g. altera parte non audita, prout Cardinal. Tusch. multis probat *lit. I. Concl. 430.*

§. VI.

Eandem cum prioribus inflat tibiam Marta *d. Jurisdict. P. 1. c. 17. n. 24.* quando hanc potestatis ecclesiasticæ exhibet definitionem: *Est potestas spiritualis supernaturalis, data Petro & successoribus ejus a Christo ad regendum & dirigendum eam directe in supernaturalibus quoad finem supernaturalem supremum, & ultimum per rationem naturalem, quæ directe solum amplectitur supernaturalia, indirecte vero, sive in ordine ad supernaturalia amplectitur etiam animalia, naturalia, quatenus sunt necessaria ad consecutionem finis supernaturalis ob quem sunt instituta.* Exercebatur vero hæc olim ab Episcopis, unde dicebatur communiter Episcopalis Audientia *t. t. C. de Episcop. Audient.* quod etiam hodie adhuc fit apud Status Pontificiæ religioni addictos per concessionem Papæ. Neque tamen omni tempore Episcopalis audientia tam amplam potestatem notavit. Prætensæ interim illius potestatis amplitudo occasionem præbet, multis de ea conficiendis voluminibus, qualia congessit Barbosa de *Potestate ac Offic. Episcop.* Ejusque signum in Archiepiscopo Metropolitano est pallium per *cap. 1. X. d. autor. & us. pall.* Joh. Dartis *Tract. de Benef. Sect. I. cap. 5. p. 15. Col. 2. lit. A. seqq.*

§. VII.

Sed posito, Papæ competere Jurisdictionem in spiritualibus, an largiendum vero erit propterea, illum talem etiam habere in secularibus? Et sane si evolvamus Canonistas, Pontificiæque religioni addictos D. D. nullum erit

circa

circa hanc quæstionem dubium. Pontifex namque Romanus tanquam Vicarius Christi & caput Ecclesiæ visibile, omnes sub se habet homines, Imperatores sive sint, sive Reges, Electores sive Principes, Nobiles sive Plebeji, adeo, ut de necessitate salutis æternæ sit, sub Papæ esse potestate, juxta Mart. *d. Jurisd. P. I. c. 11.* Imo dependent ipsi Imperatores a Pontificibus, juxta Mart. *c. I. P. I. c. 18.* quibus tenentur præstare homagium. Et quanquam citatus Marta *c. 17.* multas rationes afferat, quibus directo non competere Papæ temporalem potestatem videtur evinci, ad illas tamen *c. 25.* latius respondet. Quid etiam est denunciationis judicium aliud, de quo *vid. Mart. P. 3. c. 8.* quam modus trahendi omnes causas ad se, sub prætextu cognitionis de perseveratione in peccato? Et hanc potestatem temporalem Cardinalis Bellarminus firmiter asseruit, præter alios Doctores, teste Zypæo *d. Jurid. L. 1. c. 2.* Neque obstat, ex his quidem hypothesibus, quod Laicis nulla competat potestas in spiritualibus, Christin. *Vol. V. d. 222. n. 24.* seqq. adeoque nec Clericis in temporalibus aliqua asserenda videatur, Carleval. *T. 1. D. 2. n. 1120.* Nam hos similesque dubiorum nodos gladio velut Alexandri dissecat Bonifacius VIII. *in c. 1. Extravag. commun. de Majorit. & Obed.* Ubi, *si deviat*, inquit, *terrena potestas, judicatur a potestate spirituali, sed si deviat spiritualis minor, a superiori, si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit judicari*; testante Apostolo, *spiritualis homo judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur.* Nam ex his non tantum inter Laicos & Clericos, disparitatis ratio luculenter, si Diis placet, elucet, sed & constat, Potestatem Clericorum in temporalibus esse aliquam, & quidem non exiguam. cit. Zypæus *d. Jurisd. L. 1. c. 5. n. 1.*

§. VIII.

Aliquando moderatius philosophari videntur Juris Canonici autores & interpretes, quando Laicorum causas Cleri judicio regulariter non subesse tradunt *cap. 10. 11. X. de*

for. comp. Lancellot. *J. J. C. l. 3. tit. 1. §. 3.* Sed quam parum id observatum fuerit, & quibus artibus Clerici Laicos ad sua traxerint judicia, ex Historiarum scriptoribus partim, partim ex experientia patet. vid. Dn. Ziegl. *ad dict. §. 3.* Lancell. v. *Non autem Ecclesiasticus.* item *c. 8. X. d. for. comp.* Stryck. *Disp. de Potestate Clericorum in secularibus cap. 1. §. 21.* In specie crimina, a Laicis commissa, indistincte ad forum suum & censuras trahere, deque illis cognitionem instituere non dubitarunt. Temperandis istis excessibus, superiore tempore ex quorundam Theologorum sententia distingui cœperunt crimina, in ecclesiastica & secularia. Illa in admissis directe contra fidem & Sacramenta constituta fuerunt, hæc in iis, quæ jure gentium aut civili sunt vetita. Illorum coercitio Episcopis asserta fuit. Sed in secularibus porro distinctum fuit, utrum de jure ageretur & peccato opinionis vel erroris, uti vocant, cum scilicet quis dubitat, utrum id, quod committit, peccatum sit, & talis cognitio ad forum ecclesiasticum relata fuit: an vero ageretur de facto, seu peccato, ut vocant, vendicationis, cum quis ipso facto crimen committit. Et hujus coercitio magistratui seculari relicta fuit, prout hæc ex Petro de Marca, *de concord. Sacerd. & Imper. l. 2. c. 3. n. 7.* tradit Ziegler. ad *Lancell. d. l.*

§. IX.

Sed ista retulisse sufficiat, nam ea illiusque generis alia solide componere, desperatus labor fuerit. Breviter potius, quid de controversa Ecclesiæ jurisdictione mihi videatur, nunc ostendam: Nimirum Ecclesia, qua talis, nullam habet jurisdictionem, in quem sensum doctrina Ziegleri §. 4. relata, merito accipitur. Si vero illa in statu naturali existat, tum jurisdictione similibusque juribus gaudet, sed non ut Ecclesia, verum ut cœtus sui juris sive Respublica, id quod in casu fere simili agnoscit B. Brunnem. *de jur. ecclef. l. 1. c. 4. §. 7.* dum docet: *hoc tamen neminem negaturum puto, si navis aliqua in desertam*

tam insulam delata, in ingressu dissolvatur, & populus ille christianus nullum haberet Ministrum verbi, per quem sacra administrari possint, posse eo casu, eum cœtum ex suo numero eligere personam, cui docendi & Sacramenta administrandi jus competat, & præmissis precibus ita ordinare, ut pro persona ecclesiastica haberi debeat, nec opus habeat postea nova ordinatione. Nam quæ de vocatione & ordinatione personarum ecclesiasticarum in jure ecclesiastico traduntur, ad hunc casum necessitatis, ubi solo jure naturali Persona sacris constituenda, non pertinent. Hactenus ille *add. c. 36. Dist. 4. de consecrat.*

§. X.

Quodsi Ecclesia in statu civili toleretur quidem, ejus tamen curam sibi non asserat Imperans, tum idem fere, quod in casu præcedente, dicendum est, nam neglectum a Republica jus Ecclesiæ velut accrescit, ac illa quodammodo sui juris constituitur, vid. Brunnem. *J. E. l. 1. c. 5.* §. *1.* Atque tali conditione fuit, primitiva Ecclesia Apostolica *Act. XV, 6.* a qua adeo ad Ecclesiam in genere, aut alio in statu spectatam, male argumentum ducitur. Quodsi denique Ecclesia in statu civili existat, ac Respublica curam Sacrorum sibi vendicet, tum hæc illi, vel ejus Ministris sive Clero, prout visum fuit, aliquam jurisdictionem tribuere potest, quæ adeo, quanta quanta est, a Republica ac Imperio civili tota dependet. Breviter igitur: *Ecclesiæ jurisdictio, est vel ab ejus autonomia, vel a Reipublicæ conniventia aut concessione.* Quæ hic prolixe obmoliuntur Pontificii, quasi scilicet Ecclesia, vel potius Clerus, propriam habeat jurisdictionem, a Civitate non dependentem, sed a Papa Romano potius oriundam, illa omnia in prætensum Vicariatum divinum resolvuntur, hic vero cum sit merum commentum, non tantum sine verbo Dei, sed & contra illud, rudioribus Seculis callide & malitiose effictum, ideo eo negato, omnia, quæ magno conatu inde repetuntur consectaria, ultro ruunt. Artes vero, quibus hierotyrannis illa

ſit introducta, jam tradere, extra inſtitutum, imo nec alias præciſe opus erit, cum ad victoriam nobis nuda negatio ſufficiat, quamdiu tam enorme imperium Pontificii ſolide non probant.

§. XI.

In Anglia iisdem cum Pontificiis prope argumentis fulcire conantur Epiſcopi ſuam poteſtatem. Quam in rem nota eſt controverſia; cujus præcipuos Autores etiam laudarunt B. Ziegler. *de Superindent. c. 2. §. 20.* D. Stryck. *in not. ad Brunnem. J. E. l. 1. c. 6. membr. 11. §. 1.* Pro Epiſcopis quoque ante aliquot annos calamum ſtrinxit ſcriptor Anglus, George Davvſon in *ſua Legum Origine* ſive libro, *quem Anno 1694* ſub Tit. *A Treatiſe of the Origin of Laws, and their obliging Power*, Londini edidit; Ille ex duobus maxime fontibus vim atque originem jurisdictionis Epiſcoporum derivat. Alter horum eſt, quod Epiſcopi officium poſt plantatam Eccleſiam ſit geminum; *unum*, gregem ſibi concreditum verbo & ſacramentis paſcere, *alterum*, eundem prudenter gubernare, quo inter cætera, omnium propemodum veterum conſenſu, Jurisdictio illa forenſis quoque ſpectet, ut ſcilicet officii illius duplicis, juriumque illi conjunctorum virtute, Epiſcopi verbum Dei pure doceri & ſacramenta rite adminiſtrari per Diaconos ſuos probe provideant, & præterea diſciplinam Eccleſiaſticam, perinde ac Leges omnes divinas aliasque juſtas, ipſo facto ſervari, neque has petulanter violari, curent, quæ poſtmodum S. Scripturæ auctoritate ſuſtinet confirmare.

§. XII.

Sic luculentum extare in libro *Geneſeos c. 14.* teſtimonium exiſtimat, quando dicitur: 1) *Melchiſedechum non ſacerdotem ſolum Dei altiſſimi, ſed & Regem fuiſſe, atque ita geminam poteſtatem Jurisdictionemque, in manu ſua habuiſſe.* 2) pergit de Eleazare (non autem uti ipſe, forte ex ſphalmate habet, Aarone) ſummo populi ſacerdote *Num. 27. legi,*

gi,

gi, cum in causis mere civilibus & speciatim hæreditariis, judicium exercuisse, eundemque cum Mose Palæstinam inter populum Israeliticum divisisse. Num. 32. 34. aliisque locis id testantibus. Confirmari etiam posse ulterius censet, eandem forensem sacerdotis olim summi potestatem, ex illo *Deuter. c. 17. v. 8.* seqq. testimonio, ubi contentiones *inter sanguinem & sanguinem, inter dominum & dominum, tum ad sacerdotem, tum ad judicem civilem* deferri jubeantur. Atque inde factum esse amplius contendit, ut eandem potestatem Samuel, Eli, Ezra, Nehemias & omnes, qui sacerdotis & prophetæ officio una in veteri fœdere functi essent, exercuerint. In novo testamento Apostolum Paulum, dicit *Dawsonius*, Timotheo, Ephesi Episcopo, inter cætera injunxisse, ut adversus presbyterum accusationem nullam, nisi coram duobus, vel tribus testibus recipiat *1. Tim. 5. 19.* ubi duo ista verba, *accusationes* & *testium*, meram jurisdictionem Civilem innuere commonet. Et ad *Corinthios* eundem D. Apostolum *1. Cor. 6. v. 1. 3.* scripsisse, ait, ut si *contentiones quædam inter fratres Christianos exoriantur, hæ non ad infidelium tribunal deferantur, sed per viros quosdam pios & rerum intelligentes,* i. e. *Sacerdotes & Seniores, tanquam prudentiores, componantur.* Hinc recte & sapienter pronunciasse existimat Archi-Episcopum *Whitgift* in admonitione sua *p. 269. Why a Bishop may not have such an office as is profitable, to encrease Godliness, and punisch Ungodlin ess, i hear as yet no reason* id est, *Cur Episcopus ejusmodi officium sustinere non possit, vel debeat, quod ad promovendam pietatem, & impietatem coercendam sit idoneum, ego quidem nullam hactenus rationem sat sufficientem percepi.*

§. XIII.

Alter Jurisdictionis Episcopalis in Anglia, ex sententia Davvsonii, fons est, quod Episcopi Angliæ, Procerum Regni dignitate perpetuo fulgeant, idcirco primum inter Regni Ordines, quando comitia celebrantur, locum

 or-

ornent, hincque amplius per *Baroniam*, ut vocant, potestatem abſolutam LL. quasvis ſanciendi & abrogandi vel immutandi, teneant, non minus quoque feuda ſua, Dominiumque in iis utile, veluti *Barons of the Realm* ſ. Regni Barones immediati, Regum auctoritate poſſideant. *vid.* ipſ. Davvſon. *Origin. of Laws L. VI. c. 7.* §. *4. 5. p. m. 124.* ſeqq.

§. XV.

Aſt quid ad hæc reſpondendum ſit, nunc etiam paucis videbimus, non ea quidem intentione, ut formam Regiminis Anglici impugnemus, ſed ut ſaltem oſtendamus, nullam ſubeſſe rationem validam, ob quam Epiſcopis poteſtas aliqua, a Republica non dependens, ac immutabili jure divino conſtituta, more Pontificiorum, tribui debeat. Quod enim primum *Dawſonii* attinet argumentum, geminum & duplex eſſe officium Epiſcopi, non video ſane, quomodo probari poſſit, ad alterutrum & externam Eccleſiæ gubernationem pertinere, ac ſub hac jurisdictionem aliquam comprehendi: Cum Chriſtus expreſſe *Luc. 22. v. 25.* intimaverit Apoſtolis ſuis, *ipſis Regio more dominari, & beneficos appellari Dominos, non eſſe conceſſum.* Item D. Petrus *1. Epiſt. 5. v. 2. 3.* admonet Epiſcopos: *Paſcite Dei gregem, qui penes vos eſt, non ut dominantes.* Licet vero hæc dicta non impediant, quo minus Epiſcopis ab Imperio civili aliqua poteſtas concedi queat, ſatis tamen evincunt, jure divino immutabili, propriam aliquam & independentem ipſis non eſſe conceſſam. Quod 2) de Melchiſedecho affertur, quæſtio omnino adhuc decidenda eſt, an tanquam ſacerdos, an vero tanquam Rex Jurisdictionem exercuerit? Non enim negandum videtur, quin duplex iſta functio in una eademque Perſona concurrere poſſit, & aliquando revera concurrerit, etſi de munerum illorum compatibilitate alias non eadem omnium ſit ſententia v. Dn. Stryck. *in not. ad Brunnem. J. E. l. 1. c. 4.* §. *4.* Quamdiu autem probatum non eſt, Melchiſe-

dechum

dechum ut ſacerdotem exercuiſſe jurisdictionem, tamdiu pro poteſtate Epiſcopali nihil inde evinci poteſt, nec fas erit, ea, quæ ut Rex ille peregit, ad qualitatem Clericalem referre. Ut nunc taceam, quosdam per Melchiſedechum non hominem, ſed Meſſiam, intelligere, cum *melech* notet Regem, *ſedec* juſtitiam, *Salem* pacem, adeoque Rex juſtitiæ & pacis, id eſt, Meſſias eo nomine ſignificetur v. P. Cunæi *de Republ. Ebræorum l. 3. c. 3.* Sed de hoc periti amplius videant! Quantum ad tertium Davvſonii argumentum, legimus quidem de Eleazare, illum cum Moſe Palæſtinam diviſiſſe, ſed num propterea Judex fuit? Et poſito judicium exercuiſſe, Lex erat eo tempore data forenſis, Iſraëlitas ut tantummodo obligaret, non cœteras gentes, & Deus præterea eo tempore erat adhuc Rex atque Supremus populi Judaici Judex, qui Ceremonialem condiderat legem, ne quis intraret in Sanctiſſimum præter Sacerdotem ſummum. Orto igitur circa legem forenſem, quæ nimis conciſa erat, dubio, ejus explicationem & argumentum a divino Legislatore petere neceſſum erat. Hic vero cum in Sanctiſſimo, ad quod, virtute legis ceremonialis, ſoli Sacerdoti ſummo aditus patebat, per viſiones ſententiam ſæpe declararet, igitur ii, qui Numinis divini reſponſo in caſu aliquo dubio egebant, ad Sacerdotes recurrere tenebantur, quo ipſo ſumma rerum ad ipſos delata eſt, quod etiam ex *Deuter. 17. v. 8.* ſatis luculenter apparet; ab Eccleſia igitur & Republica judaica, a Deo immediate gubernata, ad alias eccleſias & civitates, male ducitur argumentum. 4) quod Exempla Sacerdotum & Prophetarum attinet, qui Jurisdictionem exercuerunt, utraque reſponſio præcedens, ſecundæ & tertiæ rationi oppoſita, hic etiam locum habere videtur. Nempe illos non ut ſacerdotes jus illud exercuiſſe, ac Theocratiæ Judaicæ, aliarumque Rerumpublicarum, diſparem eſſe rationem.

§. XVI.

§. XVI.

Augumentum ex novo Teſtamento, & quidem ex *1. Tim. 5. 19.* deſumtum facile eliditur, nam Paulus Timotheum ſaltem admonet, ne nimis credulus ſit, ac cuivis rumuſculo de Seniore forſitan increbreſcenti, fidem ſtatim habeat, ſed potius de facti veritate, receptis teſtibus, ſit ſollicitus, non tam ut Judex, quam potius ut arbitrator; Imo ſi etiam quoad regimen Eccleſiaſticum primitivæ Eccleſiæ Doctoribus aliqua Jurisdictio competierit, quare tamen ab iis ad hodiernos Epiſcopos argumentari non liceat, §. *10.* oſtenſum eſt. Multo minus obſtat *1. Cor. 6. v. 1. 2.* cum Apoſtolus Chriſtianos ſolum hortetur, ne coram Magiſtratu ethnico temere litigent, ſed ut potius ortas controverſias amicabili compoſitione coram arbitris expediant, ne ſecus faciendo religionem chriſtianam ludibrio & contemtui Gentilium exponant, quaſi Chriſtiani commendatum doctrina amorem facto ipſo refellerent. Ex quibus adeo Epiſcopalis aliqua Jurisdictio minime ſequitur, cum arbitris ne modica quidem coercitio competat, ſine qua tamen Jurisdictio nulla eſt *L. f. §. 1. π. d. Off. Ej. cui mand. Jurisd.* Non itaque bene & ſapienter intuitu juris divini pronunciavit *Whitgift*, nam omnino multa obſtant, quo minus Jurisdictio eo jure Epiſcopis tribuenda ſit. *add.* Brunnem. *J. E. l. 1. c. 2. §. 4. ſeqq.*

§. XVII.

Quod ſi autem tales ſupponamus Epiſcopos, quales ſunt in Anglia, qui feuda poſſident, adeoque ſecularem perſonam quaſi repræſentant, tales, inquam, qui vix ter quaterve per annum coram concione verba faciunt, qui tot habent Cancellarios, Conſiliarios &c. Juris Doctores & periti qui omnes eſſe debent; largior facile, illos habere poſſe Jurisdictionem, non vero vi officii ſui Sacerdotalis, ſed ex Conceſſione Regis, quem pro ſuperiore in ſacris recognoſcunt, prout teſtatur Davvſonius *L. 6. c. 6. n. 1. p. m. 112.*

that

that the Pope neither of right had, nor ought to have any Jurisdiction herein England, but that the King in all Causes, as well Sacred as Civil; was supream Head and Governor; and that no National nor Provincial Synod was to be called without his Rescript, nor any thing there determined to have the form of Law without his Assent. Et Canones Angliæ Ecclesiastici *Anno 1603.* sub Rege Jacobo promulgati, quos refert Benthemius quoque im Engl. Kirchen-Staat *p. 394.* Can. 1. verb. *Sed autoritatem Regiam intra regna sua Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, ac reliqua ipsius dominia & territoria proxime secundum Deum primam esse & supremam, cui omnes earundem regionum tum incolæ quam indigenæ fidem omnem, & obedientiam supra aliam quamcunque in terris potestatem Lege divina tenentur exhibere.* Et in Can. 2. Excommunicationis pœna in illos statuitur, qui contra faciunt. Ex quibus facile liquet, quare alter fons, ex quo potestatem Episcopalem Dawsonius derivat, ultro velut exarescat. Nam id saltem ostenditur, quod Episcopi Anglici habeant jurisdictionem, non vero, quod ex instituto divino, cum potius res ipsa satis demonstret, illa omnia ex papatu descendere, adeoque ad instituta humana pertinere. Neque tamen hoc nomine Regimen Episcopale reprehendi debet, cum non omnia, quæ ex papatu supersunt, improbanda sint, quemadmodum etiam dissidia bellaque interna, quæ sane plus vice simplici Angliæ perquam funesta acciderunt, Regimini illi imputari non possunt. Sed nec e contrario ingenua veritatis inquisitio Angliæ, cui sane nostra Patria, nostra Germania ac tota Europa plurimum debent, venerationi, vel Episcoporum Anglicorum existimationi quicquam detrahit, cum his, imprimis vero quibus sub incomparabili Regina vivere datum est, satis liceat esse felicibus, quamvis potestatem suam Reipublicæ in acceptis ferre debeant.

§. XVIII.

Sed ut ad Originem Judicii Ecclesiastici in Germania,

præcipue quoad Laicos, propius accedamus, constat sane, quod sub Regibus Francicis & Germanicis, uti Graviones secularem, ita Episcopi jurisdictionem ecclesiasticam, tam in Clericos, quam Laicos exercuerint. Ita Lehmann *in Chron. Spir. l. 2. c. 18.* docet: Demnach die teutschen Könige zu studieren angefangen, und die Geistlichen an Geschickligkeit und Erfahrniß zugenommen, daß sie der Kirchen Regierung gleichfals nach der Römer weltlichen Verwaltung reguliret und angestellet, und in welchen Städten die Obristen oder Grafen Hof gehalten, in deren jeder ist auch ein Bischoff gesessen, welchem, im gantzen Gau die Kirchen, und was denenselben zugehörig, zu verwalten zugestanden, & paulo post: Städte hat man geheißen, eine große Gemeine, in welcher sambt den gantzen Gau, ein Bischoff und ein Graf, im Nahmen, und von wegen eines teutschen Königes und des Reichs, geistliche und weltliche Obrigkeit verwaltet. Ex quibus, ut hoc obiter admoneam, etiam apparet, Lehmannum fuisse in ea sententia, quasi Comitum & Episcoporum Jurisdictio, iisdem limitibus fuerit circumscripta, quod probare quoque videtur Dn. Coccejus *in J. P. P. c. 18. §. 36.* Sed idem Lehmann *d. b. l. 4. c. 9.* aliter sentit: Das Bißthum Speyer, inquiens, und dessen geistliche Jurisdiction, hat sich vor Alters viel weiter erstreckt, denn der Speyergau, denn der Pagus oder Gau, samt allen zugehörigen Städten, Flecken und Dörffern, ist gantz disseit Rheins gelegen, deß Bißthums Botmäßigkeit und Gerechtigkeit begreifft nicht allein den Speyrgau, sondern jenseit Rheins, eine große Revier vieler eigenthümlichen Städte, Flecken, Schlösser, Dörffer, Weiden und Wasser, und hat die Verwaltung des Bischöfflichen Amts, über die gantze Marggraffschafft Baaden, item das Hertzogthum Würtenberg zum Theil gereicht, und am Bißthum Costnitz und Würtzburg gewendt.

Atque

Atque hæc ultima ſententia altera eſt probabilior, licet hac in re quemvis ſuo ſenſu abundare, facile patiar.

§. XIX.

Inprimis vero Sacerdotes in vitioſos Chriſtianorum mores pœnis Canonicis animadverterunt, inter quas excommunicatio præcipue fuit, cujus maximus illis temporibus effectus erat. Sic namque in Capitulari Anſegiſi capitul. *42. l. 5.* legitur: *Ut ſciatis, qualis ſit modus iſtius excommunicationis: in Eccleſiam non debet intrare, nec cum ullo Chriſtiano cibum vel potum ſumere, nec ejus munera quisquam accipere debet, nec ei oſculum porrigere, nec ei oratione ſe jungere, nec ſalutare, antequam ab Epiſcopo ſuo ſit reconciliatus* v. Conring. *de judic. Reipubl. german.* §. *30.* ex quibus apparet, quantopere papatus jam tum diſciplinam eccleſiaſticam corruperit. Succeſſu temporis Laicorum cauſæ promiſcue ad Epiſcopos fuerunt devolutæ, v. Conring. *d. differt.* §. *34.* ab initio, uti videtur, fere ex compromiſſo, propter ſanctimoniæ & integritatis opinionem, ut cenſet Monzambano *de Stat. Imper. german. c. 5.* §. *14.* Cum igitur tam multa & varia fuerint Epiſcopali judicio commiſſa, inde manifeſtum eſt, longe illud Comitum judicio præſtitiſſe, cum multitudine negotiorum, tum autoritate & dignitate. Nullo autem Reipublicæ bono, vel certe perexiguo, multa horum ita eſſe conſtituta, docuit eventus: Epiſcopis quam multis in tyrannis prope degenerantibus, &, dum alienis incumbunt curis, ſui quod erat muneris, negligentibus, ſummo Eccleſiæ Germanicæ damno, quæ veriſſima Conringii eſt epicriſis *d.* §. *34.*

§. XX.

Sicut autem in cauſis Epiſcopalibus paulatim ad Pontificem Romanum provocationes fieri cœperunt, renitentibus tamen iſti mori Regibus Germanicis v. Conring. *d. diſſert.* §. *33.* ita quæ Ordini Eccleſiaſtico in Laicos olim competiit Juriſdictio, multum etiam a priſtina conſvetudine de-

generavit. Cum enim olim ſecundùm germanos antiquæ Eccleſiæ Canones cauſæ ſpirituales Laicorum, in ſingulis provinciis, per Sacerdotes & Epiſcopos vel Archiepiſcopos deciderentur, poſt plurimæ earum ex his regionibus Romam ſunt tractæ. Hinc excommunicationum & Interdictorum fulmina Papalia Germaniæ non minus, quam aliis Regnis per ſunt facta familiaria. Diſertim multas controverſias, unde nimirum plus lucri vel auctoritatis captari poterat, Epiſcopali judicio ſubductas, ſuo foro Papæ reſervarunt. Ad hoc hæreticæ pravitatis inquiſitione, uti vocant, in Dominicanos Monachos translata, rem maximi momenti itidem Epiſcoporum judicio Papæ ſubtraxerunt, quam in rem plures Principum Germanicorum auditæ olim ſunt querelæ, quæ omnia plenius proſequitur Conring. *de judic. German.* §. 77. *ſeqq.* Sic igitur ſenſim jurisdictio Eccleſiaſtica a Republica avelli, ac infauſtum illud extra civitates Chriſtianas conſtitutum ejus principium, etiam Germaniæ intuitu, magis magisque ſtabiliri cœpit.

§. XXI.

Tandem tamen cum aliæ Reſpublicæ, tum magna quoque Germaniæ pars, intolerabile illud jugum excuſſerunt, ac jus Sacrorum, ab injuſto Uſurpatore vindicarunt. Quo ipſo adeo ad eam illud rediit conditionem, in qua, juxta ſaniora principia politica, eſſe debet. In ſpecie igitur Principibus aliisq; Statibus Germaniæ Proteſtantibus vigore Superioritatis Territorialis, Krafft habender Hohen Landes-Obrigkeit, Jus Sacrorum eique innexa Jurisdictio Eccleſiaſtica competit v. Reinking. *de Regim. Sec. & Eccleſ. l. 1. claſ. 5. c. 4. n. 228. l. 3. claſſ. 1. c. 10. n. 2.* Carpz. Jurisp. Conſiſt. *l. 1. D. 3. n. 2.* Mev. *p. 2. D. 305.* hinc tritum illud enatum eſſe Carpz. *c. l. n. 4.* cenſet: *Cujus eſt regio, ejusdem eſt religio*, de quo peculiaris extat diſſertatio Dn. D. Rechenbergii *in Vol. Diſſert. p. 2. n. 21.* Sicut autem Superioritas Territorialis ſenſim Statibus Imperii acquiſita eſt, ita quoque Jus Sacro-

rum

rum iis, velut non ſentientibus, accrevit, donec Transactione Paſſavienſi, & ſubſecuta Pacificatione Religioſa, poſtea vero Pace Weſtphalica plenius omnis illa res fuerit definita. Cenſetur autem iſtis conventionibus Jus Sacrorum Statibus Proteſtantibus non tam *datum*, quam potius *reſtitutum*. v. Reinking. *l.3. claſſ. 1. c. 10. n. 3.* Dn. a Seckendorf *de Stat. P.P. German. p. 2. c. 11. n. 1. ſeqq.* Brunnem. *J. E. l. 1. c. 2. §. 9.* ſed de hoc non valde contendendum videtur, cum utrumque ſuo modo verum ſit. Eſt hoc Jus Statibus *reſtitutum*, poſtquam ab injuſto poſſeſſore fuit vindicatum; ſed ab ipſa Republica tamen plenius etiam ipſis eſt conceſſum & *datum*. Id magis in hac disquiſitione cavendum, ne a Pontifice Jus illud repetamus: iſta enim docendi ratio confeſſionem juris Pontificii involvit, legitimam vero ejus in Status Proteſtantes translationem probare nequit, cum in conventiones religioſas Pontifex nunquam conſenſerit.

§. XXII.

Nihil autem Jura ſacrorum ſive Epiſcopalia, ut vulgo dicuntur, cum mero & mixto Imperio commune habent, neque ſub ſpecie aliqua Jurisdictionis comprehenduntur, aut ab illa deſcendunt, ſed tantum unice ex ſuperioritate territoriali proveniunt, quatenus quis Status eſt Imperii, *R. J. d. a. 1555* §. und damit ſolcher Friede, quod per reſcriptum Sereniſſimi Elect. Sax. ad Witteberg. *ſ. d. 17. Maij Anno 1620* ulterius probat Carpzovius in *citata def. 3.* Duplicem igitur Perſonam quaſi repræſentare hodie noſtros P.P. vulgo etiam exiſtimant. Sed iſta docendi ratio incongrua cenſeri debet, cum a Pontifice ac Clero papali jus Sacrorum repetat, quæ tamen translatio nunquam ſolide probari poteſt. Ne ſententiæ meæ deſit autoritas, lubet adjicere verba Kulpiſii in *comment. ad Monzamb. p. 2. c. 5. §. 12. p. 98.* *Id certum eſt, Ordinum Proteſtantium conditionem heic meliorem eſſe, quam Pontificiorum, cum illi ſua propria autoritate res Eccleſiæ curant, ubi hi a Pontifice Romano ejusque*

constitutis Episcopis adhuc dependent. Minus recte tamen Protestantes Principes, proterea duplicem personam, *aliam ut* Principis, *aliam ut* Episcopi, *habere dici posse, & multum interesse, itane an aliter loquamur, observavit Strauchius dissert. acad. 3. §. 36. eo nomine Boeclero laudatus, quanquam gravissimos JCtos, Carpzovium, Mylerum, ipsum quoque Mevium, eam formulam didiscere non potuisse, deprehendamus.*

§. XXIII.

Licet vero Jurisdictio Ecclesiastica, perinde ut Secularis, Imperio civili insit, attamen tam in aliis Rebuspublicis, quam in Territoriis germanicis Protestantium, in separatis collegiis, utraque exerceri solet. In Anglia Judicium causarum ecclesiasticarum appellatur Curia Christianitatis, test. Thom. Schmid. *de Rep. Angl. LXI. c. 11.* quem allegat Reinking. *L. 3. class. 1. c. 10. n. 9.* & Carpzov. *L. 1. defin. 11. n. 13.* In Helvetia singulæ urbes peculiare consistorium habent, constitutum partim ex certo numero Assessorum Politicorum, partim Theologorum, vocaturque teste Reinking. *d. l. n. 9.* Chorgericht. Nos in nostra Germania judicia Ecclesiastica solemus nominare Consistoria, & habemus eorundem tria in nostra Saxonia, Dresdense, Lipsiense & Wittebergense. Et hoc constituit D. Augustus Elector. Nam olim IV fuisse, apparet ex Carpzov. *L. I. def. 12. n. 5.* & ibidem allegatis auctoribus, nempe Lipsiense, Wittebergense, Misnense & Zwickaviense. Ad Lipsiense pertinent circulus Lipsiensis, Voigtlandicus & Neostadiensis itemque pars Montani Thuringicus, ad Wittebergense Circulus Electoratus, & ad Dresdense Misnicus & Montanus. Et qvanqvam hoc appelletur Ober-Consistorium, non tamen existimandum quis præsumat, hoc cæteris esse superius, aut a cæteris ad hoc fieri appellationem, cum contrarium observantia pariter & ipsa ord. Elect. Tit. Von Ober-Consistorio §. Es soll aber etc. testentur. quamobrem titulo illo ideo gaudet, quia annexum habet Senatum Ecclesiasticum, den Kirchen-Rath, qui jura quædam

dam negotiaque Ecclesiastica, specialiter ac immediate Serenissimo Electori reservata, tractat. Quomodo autem differant inter se Consistorium & Senatus Ecclesiasticus tradit citatus Carpzov. *L. 1. def. 12. n. 12.* seqq. Et res clara erit, si distinguamus accurate Jus Episcopale & Jus Sacrorum. Hoc circa tria potissimum versatur 1) circa divinum cultum in se spectatum. 2) circa personas cultui destinatas, & 3) circa res & bona ad cultum necessaria, prout refert Dn. Stryck. ex Conringio ad Brunnem. *J. E. L. 1. c. 6. membr. 12.* §. *1.* verb. *Jus Episcopale.* Episcopalis vero, quam vocant, potestas, huic Juri subordinata est, & præcipue ad executionem cultus jam tum recepti spectat. Hinc Jus sacrorum apud Senatum Ecclesiasticum remanet, cætera per Consistoria expediuntur in nostra Saxonia. Dn. Stryck. *loc. cit.*

§. XXIV.

Etsi vero negandum non sit, quin Consistoria Protestantium ad exemplum judicii Episcopalis pontificii fere & recepta, & jurisdictione instructa sint, attamen ideo improbari non debent, nam sufficit, quod Jus Sacrorum a Pontifice vindicatum sit, ejus vero, aut speciatim Jurisdictionis ecclesiasticæ, exercitium cum sit arbitrarium, nihil vetat, quo minus etiam instituta papalia, in quantum visum fuerit, sequamur. Quamvis nonnullis in locis, ut Hamburgi, nulla Consistoria occurrant v. Dn. Stryck. ad Brunnem. *J. E. l. 3. c. 1.* §. *2.* Receptis vero Consistoriis interesse solent, in plerorumque Protestantium P. P. terris, Theologi pariter ac Politici. Et quamquam non incongrue hoc sancitum juxta Reinking. *L. 3. Class. 1. c. 10. n. 7.* Carpzov. *L. 1. def. 11. n. 11.* non tamen propterea Theologos adhibere, esse simplicis necessitatis existimo. Aliæ enim causæ Ecclesiasticæ tantum ex Jure Canon. vel etiam Civili decidendæ, quædam certam sui definitionem habent. Sed si præter has aliæ evenerint, in quibus consilio Theologorum opus sit, poterit unus vel plures ex Theologis adhiberi, vel acta ad to-

tum

tum aliquod collegium in Academiam quandam transmitti, ut nullum adeo dubium sit, quin Politicus alius magistratus etiam queat de Ecclesiasticis causis pronunciare, cui & integrum erit discernere, quando de necessitate sit, Theologos adhibere, prout etiam videmus, in nonnullis provinciis esse introductum, e. g. in Pomerania, juxta ejusdem Provinciæ Ordinat. Eccles. *p. 3.* Tit. Von Consistoriis §. wo sich öfferst. it in Ord. summi Tribunalis Wismariensis P. 2. T. 1. §. 15. verb. Dann Drittens. Nihilque in contrarium facit, quod Consistoria sint Judicia Ecclesiastica. Non enim propterea sequitur, quod personæ judicantes debeant esse Ecclesiasticæ, sed sufficit, quod Episcopalia Jura exercens, hoc judicium ad decisionem causarum Ecclesiasticarum constituerit, sique opus fuerit Theologicis Judiciis, ut Theologi adhibeantur, voluerit. Uti hoc defendit Dn. Stryck. *in dissert. cit. de potestate Clericorum in Secularibus c. 1. §. 23.* & Mev. *P. 4. d. 1. per tot.* Quamvis in istis regionibus, ubi Theologi cum Jure Consultis simul judicium Ecclesiasticum constituunt, a recepto more non sit recedendum, sed omnino prudentissima a nostris P. P. facta constitutio, ut supra dixi, laudanda. Conf. Brunnem. *L. 3. c. 1. §. 5.* & Stryck ad eundem.

§. XXV.

Cum in præcedentibus Angliæ mentionem fecerim, liceat mihi, cum pace Lectorum, aliquid de modo exercendi potestatem ecclesiasticam, in celeberrima ac felici hac Insula usitato, hic inserere. In Anglia igitur ubi Ecclesiæ vel *Episcopales* sunt, vel *Presbyteriales*, singuli Episcopi Curias suas uti vocant Ecclesiasticas, *Ecclesiastical Courts*, tenent, quarum Cancellarius (quem LL. peritum esse oportet, per *Can. 127. 128. Angl. Eccl.* apud Benthem. Engl. Kirchen-Staat *p. 488.*) cum Assessoribus (p. Laicis, p. Clericis) & ipsis apparitoribus a solo Episcopo dependet *conf. dict. Canones.* Inter has Curias eminent IV. curiæ Ecclesiasticæ superio-

periores, quæ partim ab Archiepiſcopi Cantuarienſis poteſtate dependent, partim cœteras Epiſcoporum Curias diœceſales ſibi habent ſubjectas. Prima & ſuperior harum vocatur *the Court for Probate of Laſt Wills and Teſtaments*, Curia Probationum ultimæ voluntatis & teſtamentorum. Et cum Archiepiſcopus Eboracenſis, (qui ab Archiepiſcopo Cantuarienſi in eo differt, quod hic Primas *totius Angliæ*, iſte vero Primas *Angliæ*, vocetur) ſimilem Curiam Eccleſiaſticam *for Probate of Laſt Wills* in ſua provincia teneat, nihilominus vero ultimæ voluntates & teſtamenta, omnium utriusque Provinciæ perſonarum, quæ in alia quadam Diœceſi, quam in illa, in qua mortem ſubeunt, bona notabilia (V libras excedentia in Diœceſibus cœteris præter Londinenſem, ubi X libræ requiruntur) poſſident, in curia Archiepiſcopi Cantuarienſis ſint probanda; hinc ad diſcrimen Curia Archiepiſcopi Cantuarienſis, præcipua, *the prærogative Court*, ab Anglis appellatur, ceu quidem teſtantur Dr. Cocke *Inſtit. P. 4. c. 74.* Altera Archiepiſcopi Cantuarienſis Curia vocatur; *the Court of Arches*, Curia de Arcubus, atque ita cognominatur ab Eccleſia arcuata, ſ. *the Bow Church* Londinenſi, quod in ea ſolennia hujus curiæ exerceri ſoleant. Cancellarius & Judex hujus curiæ *the Dean of the arches* dictus Jurisdictionem ordinariam in tredecim parochias Civitatis Londinenſis, quarum caput eſt *Bow Church* exercet. confer. Dr. Cocke loc. cit. & *Canon. Eccleſ. Angl. 94.* apud Benthem. *l. c. pag. 465.* Tertia Curia Archiepiſcopi Cantuarienſis eſt *the Court of Audience*, Curia Audientiæ, atque ejusdem Jurisdictio vel in æde D. Pauli, ſtructura & ornamentis magnifica, vel in Palatio ipſius Archiepiſcopi, per ejusdem procuratorem vel officialem, *by his Auditor or official*, exerceri ſolet. Pertinent ad hanc Curiam confirmationes Epiſcoporum, electiones, conſecrationes &c. nec non cauſæ omnes Jurisdictionis voluntariæ, ut *the Granding of the Gvardian ſchip of the ſpiritualities of*

Bischops, f. concessio tutelæ spiritualium sede Episcopi vacante; porro collationes beneficiorum, dispensationes excommunicationum in causis matrimonialibus & similia. At Causæ Jurisdictionis contentiosæ huc non spectant, teste Zouchio *Angl. Jur. Eccl. P.III. §.3.* Quarta Curia vocatur *the Court of Faculties,* Curia Facultatum. Hujus judicii officialis dicitur Magister ad Facultates, *the Master of the faculties,* & in ejus manu potestas, facultates sive dispensationes concedendi, est posita, conf. G. Dawson *de Orig. Legum L. VI. c. 7. §. 6. p. m. 130.* Præter has curias Eccesiasticas superiores, singuli Episcopi, in suis Diœcesibus, Curias suas Consistoriales, *the Consistory Courts*, habent, in quibus coram Cancellario, qui unice ab Episcopo dependet, causæ cœteræ Ecclesiasticæ in quavis Diœcesi disceptantur, vid. Dawson. *l. c. p. 131. verb. The Bishop of every Dioceſſ. &c.*

§. XXVI.

Sufficiant hæc de Episcoporum in Anglia potestate hancque exercendi modis. Cum vero nullum invenerim, qui accuratius rem paulo & distinctius exposuerit, quam celebrem Episcopum Sandersonium, digna judicavi verba istius nostræ ut inserantur dissertationi, quæ habet in Libro suo *Episcopacy not prejudicial to Regal Power fol. 70. seq. The Power of our Bishops comes under one of the two Heads, of Order, or Jurisdiction. The Power of Order consisteth partly in preaching the Word, and other Offices of Publick Worship, common to them with their Fellow-Ministers; partly in ordaining Priests and Deacons, admitting them to their particular Cures and other things of like nature, peculiar to them alone. The Power of Jurisdiction is either Internal, in retaining and remitting Sins,* in foro conscientiæ, *common to them also for the substance of the Authority (tho' with some difference of Degree) with other Ministers: Or, External, for the outward Government of the Church, in some parts thereof peculiar to them alone. For that* External Power *is either* directive *in prescribing*

Rules

Rules and Ordres to those under their Jurisdictions, and making Canons and Constitutions to be observed by the Church; wherein the inferior Clergy, by their Representatives in Convocation, have their Votes as wel as Bishops, and both dependently upon the King, (*for they cannot either meet without his writ, or treat without his Commission, or establish without his Royal Assent,*) *or Judiciary and Coercive: Judiciary in giving Sentence* in foro exteriori, *in Matters of Ecclesiastical Cognizance, by Excommunicating, and denouncing the Censures of the Church, which they have of themselves as they are Bishops: Coercive, by fining and imprisoning Offenders, and the like; which, not only in the Exercise thereof, but even in the very substance of the Power it self, is by the Laws declared, and by the Clergy acknowledged, to be wholly derived from the King, as the sole Fountain of all Authority of external Jurisdiction, wheter Spiritual or Temporal, within this Realm,* quorum verborum tenor hic est: Potestas Episcoporum nostrorum in duo abit capita, in potestatem ordinis & jurisdictionis. Potestas ordinis consistit partim in Verbi prædicatione, aliorumque cultus divini munerum administratione, atque hanc potestatem Episcopi cum Diaconis suis communem habent; partim in ordinatione Pastorum & Diaconorum, nec non in jure, particularem suam curam aliaque ejusdem naturæ, hisce demandandi; atque hoc ad Episcopos solos spectat. Potestas Jurisdictionis est vel *Interna*, consistens in peccatorum retentione & remissione, in foro conscientiæ, adeoque ipsis communis, cum cœteris Ministris quoad Auctoritatis substantiam (utut gradu aliquantum differat) vel *Externa*, quæ, quoad externum Ecclesiæ regimen, aliqua sui parte, ad solos Episcopos pertinet. Hæc enim externa potestas vel *directiva* est, consistens in Regularum Institutorumque, ab iis, qui jurisdictioni ipsorum subsunt, tenendorum præscriptione, nec non in Canonum atque Constitutionum, in Ecclesia servandorum, introdu-

ctione; ad quam rem Clerus inferior, per Deputatos in Synodis suis, vota sua, æque ac Episcopus confert, quod dum uterque a Rege dependeat, neque enim hi vel absque Regis convocatione coire, vel absque ejus potestate delegata aliquid agere, vel absque ejus consensu Regio quædam sancire possunt: vel *Judiciaria* & *Coerciva*. Judiciaria, ferendo sententias in foro exteriori, & quidem in causis Ecclesiasticæ recognitionis, censuras Ecclesiasticas denunciando & excommunicando, utpote quam potestatem a seipsis, quatenus sunt Episcopi, habent, sese exerit: Sicut Coerciva delinquentes incarcerando & coercendo, & quæ sunt cœtera; quam potestatem non solum quoad ipsum actum & exercitium, sed quoque quoad ipsius potestatis substantiam Leges declarant, & Clerus omnis agnoscit, quod tota a Rege sit derivanda, veluti sola omnis auctoritatis quam Jurisdictio externa omnis, sive spiritualis, sive temporalis, in suo regno habet, scaturigine.

§. XXVII.

Longe aliter tamen se res habet in Belgio, ubi causæ omnes tum matrimoniales, tum testamentariæ ad Magistratum politicum spectant, & Clerus potestatem Ordinis tantum obtinet. Inde enim est, quod copulationes in ipso foro Civili, per magistratum Civilem, ut Amstelodami, Lugduni Batavorum & in plerisque aliis Belgii Civitatibus *op ten Stad-Huys* instituantur, hasque, quando personis noviter nuptis visum, benedictio tantum sacerdotalis, ut vocant, in templo consequatur. Vid. Benthems Holländischen Kirchen-Staat *P. 1. c. 12. §. 1. seqq. p. 344. seqq.* Conf. *de Resolutien van de Heeren Staaten van Holland en West-Vriesland, vande beginning der regeeringe des Raads-Pensionarius, Johannes de Witt, tot dese tyden.* Sed nolumus his amplius immorari, themate nostro ad alia nos vocante.

CAP.

Cap. II.

De Foro Laicorum Ecclesiastico, ex jure actoris.

§. I.

Ut igitur ad judicia ecclesiastica, sive Consistoria Statuum Protestantium revertamur, solet eorum jurisdictio, juxta normam judiciorum Episcopalium pontificiorum fere declarari v. Carpzov. *J. E. l. 1. D. 4. l. 3. D. 2.* quæ tamen res difficultate non caret, de qua jam dicere non attinet. Illud certum, quod regulariter Consistoriis subsint *Clerici*, non *Laici:* sicut autem illi aliquando in foro Seculari conveniuntur, de quo in *Dissertat. priori* actum est, ita hi vice versa, ad Judicium Ecclesiasticum quandoque pertinent. Has ergo exceptiones dum tradere animus est, forsitan non incongrue duo illarum genera constituuntur, vel enim Laici ad judicia Ecclesiastica pertinent, ob *jus actoris*, vel *Rei* sive *qualitatem causæ*. Quodsi hæc partitio non plane satisfaciat Lectori, cogitabit, summam rei in ea non verti, sed ad modum proponendi saltem illam spectare.

§. II.

Illud igitur primo extra controversiam est, quod Laicus, si Clericum convenire velit, forum ecclesiasticum sequi teneatur, ex generali regula, in *l. 2. C. de jurisd. omn. jud.* tradita. Licet vero, quando de foro alicujus quæritur, ille casus, quo quis rei conveniendi forum sequitur intelligi alias non soleat, adeoque talis casus huc non quadrare videatur, attamen nobis hic integrum erit ob affinitatem, illum quoque huc referre, maxime cum, occasione actionis institutæ vel instituendæ, actor quandoque judicio alieno subjiciatur. De cætero asserti illius ratio non tam est, quod Reus actore sit favorabilior *L. 125. π. d. R. J.* Sed quod

necessitas vocandi & cogendi alium, ad Jus æquum, nonnisi a superiore proficisci queat, superior autem cujusque non est alienus, sed proprius rector: Et extra territorium imperanti impune non paretur, *L. f. π. d. Jurisd. Huber. Præl. ad π. Tit. d. Jurisd. possit. 38. p. m. 255.* Neque tantum hoc de masculis dictum velim, sed etiam ad fœminas sive vinculo matrimonii alicui Laico junctæ sint, sive non, vel etiam istud dissolutum fuerit morte, extendendum erit. Sicut & uxores Clericorum, Ecclesiasticum habent forum; nam fœminæ mariti sequuntur dignitatem *L. 8. π. de Senat.* & forum *l. 65. de judic. l. fin. §. 3. ad municip. l. fin. C. de incol.* In specie igitur vidua Laici Clericum in foro ecclesiastico convenire potest. Et neutiquam obstat privilegium miserabilium personarum, inter quas viduæ connumerantur, quo nullum inferiorem judicem adire coguntur, sed eo prætterito, statim superiorem implorare queunt. Nam hoc saltem ostendit, quid vidua facere possit, non quid debeat, hinc si illa non ex re sua esse judicavit, Clericum apud superiorem convenire, poterit privilegio suo non uti, sed ad Clerici judicem ordinarium ire.

§. III.

Non tantum autem, quando actores existunt Laici, coguntur recognoscere forum ecclesiasticum, sed &, si desierunt tales esse, item obtinebit in Reconventione scilicet & actione ad expensas, litis temere clerico motæ recuperandas. Hic namque proprius reconventionis effectus est, ut actor coram eodem judice teneatur respondere reconvenienti reo, apud quem ipsemet reum antea conveniebat, licet alias judex iste, actori non sit competens per *L. 14. Auth.* Et consequenter *C. d. Sent. & interloc.* Cujus enim in agendo observat arbitrium, eum & habere contra se judicem, in eodem negotio, non dedignetur *d. l. 14.* Carpz. *P. 1. C. 7. d. 3.* vide reliquos allegatos in priore nostra Disput. DD. §. *6. cap. 3.* Respectu impensarum vero, vi cautionis

præ-

præſtitæ, quis obligabitur eundem judicem agnoſcere, coram quo temere litem alteri movit. Atque iſta reconventio, juxta jus civile, in omnibus cauſis obtinet *l. 11. §. 1. π. de juriſdict. l. 14. C. de ſentent. & interloc. Nov. 96. c. 2.* Sed jure Saxonico, in connexis ſaltem, & finita demum conventione, locum habet Carpz. *Pr. tit. 6. art. 3.*

§. IV.

Miſerabilibus Perſonis conceſſum privilegium habetur *L. un. C. quando Imp. int. pup.* & *C. 15. X. de for. comp.* Sed quærendum nobis primo erit, quænam perſonæ pro talibus reputari poſſint? & definiuntur generaliter; quæ infelicitatem paſſæ, ob fortunæ injuriam, miſericordiam noſtram movent. Carleval. *T. I. D. 2. n. 529.* Inque arbitrio judicis poſitum eſt, quas velit miſerabiles exiſtimare præter expreſſas in *L. un. C. qv. Imp. inter Pup.* Covarr. *Pract. c. 6. n. 3. in f.* Carleval. *c. l.* Expreſſæ ſunt, pupilli, viduæ & diuturno morbo laborantes. Ubi circa viduas quæſtio oritur; quænam fœminæ hoc vocabulo comprehendantur, an tantum illæ, quas privavit maritis ſuis mors, an & illæ, quæ nunquam maritos habuerunt? Reſpondet Javolenus ex Labeone *L. 242. §. 3. π. d. V. S.* has quoque nomine viduarum comprehendi. Neque obſtat, quod hoc ſpecialiter, contra Juris tenorem, ſit receptum, adeoque non nimis extendendum, & viduæ vocabulum non tam late, ut Javolenus fecit, ſed in ſtrictiori ſignificatu accipiendum. Reſp. namque non officit quod vulgo & frequentiſſime iſta appelletur vidua, quæ maritum habuit & amiſit, nam JCti verba ſatis ſunt liquida, quod etiam per fœminam virgo intelligi debeat. Secundo etiam ratio huc quadrat, propter quam privilegium conceſſum fuit; Hæc enim eſt favor & commiſeratio ſexus defectusque defenſoris, nonne hæc etiam applicari poſſunt virginibus? ut adeo extenſiva interpretatio hic merito adhibenda ſit: quam ſententiam quoque probat Dn. Schilter *ad π. exerc. 13. §. 21.* Muldo diffi-

to difficilior eſt reſponſio ad quæſtionem, num etiam virgini, patrem adhuc habenti, concedendum ſit hoc privilegium? Et exiſtimamus cum Carleval. *T. 1. D. 2. n. 536. 537.* etiam huic non eſſe denegandum. Si enim in vidua non ſolemus reſpicere, an patrem adhuc habeat, an non, neceſſe erit, ut idem quoque ſentiamus de Virgine. Clementia enim Imperatoris hanc conſtitutionem ideo dedit, ne habeant perſonæ miſerabiles neceſſe per omnes inſtantias ad ſupremum tribunal aſcendere. Hinc gaudebit privilegio *L. un.* etiam ſtuprata contra ſtupratorem Carleval *538.* virgo deſponſata de futuro & nondum in domum traducta *n. 539.* Nihil porro refert, an tales perſonæ ſint divites, an vero inopes *n. 541. ſeqq.* an honeſtæ vitæ, an ſecus *n. 550. 574.* Imo, quod maximum, etiam uxor habens maritum, ſed inhabilem, ut bannitum, captivum &c. hoc privilegio gaudet, quia idem eſt virum non habere, vel habere inutilem. *arg. L. 6. π. qui ſatisd. cog.* Hieron. de Cevallos *de Cogn. per viam violentiæ P. 2. qv. 13. n. 8.* Præter haſce vero expreſſas ſub verbis, *aliiq; fortunæ injuria miſerabiles* comprehenduntur pauperes. *Pauper dum non habet, quod offerat, non ſolum audiri contemnitur, ſed etiam contra veritatem opprimitur. Cito violatur auro juſtitia, nullamque reus pertimeſcit culpam, quam redimere nummis exiſtimat. Can. 72. XI. 3.* Huber. *præl. ad π. Tit. de Judic. poſ. 62. 63.* Eſt enim maxima pietas, quæ pro paupertate facit, Bald. in *Auth.* Cui relictum *n. 9. C. de Indict.* Stryck. ad Brunnem. *J. E. l. c. c. 6. membr. 7. §. 1.* Porro huc referri ſolent Captivi & Carcerati, Menochius *Caſ. 66. n. 17.* Peregrini & Advenæ *d. l. n. 15.* meretrices *n. 25.* aliæque perſonæ quam plurimæ, quas refert & dictus Menochius ac ſupra citatus Carleval. *T. 1. D. 2. n. 561. ſeqq.* Licet etiam quis culpa ſua in miſeriam inciderit, ib. *n. 616.* Non tamen omnium hic eadem eſt ſententia; in ſpecie quoad virgines & meretrices, quarum poſteriorum defenſionem etiam

etiam suscepit Viv. *Decis. Neapol. 521. n. 5. 6.* post alios dissentit Carpzov. *Pr. tit. 3. art. 6. n. 11. seqq.* Lauterb. *C. J. de judic. lit. R.* verbis *actoris propter quod*, quæ etiam sententia, quoad meretrices similesque personas, videtur probabilior.

§. V.

Consistit autem privilegium *L. un.* in eo, quod tales personæ electionem fori habeant, an velint scilicet adversarios suos apud ordinarios Judices inferiores, convenire, an vero statim ad ipsum Principem illos trahere. Quod ex post facto Pontifices & Episcopi sibi vindicarunt, quasi majores essent Principibus melioresque Justitiæ Sacerdotes *c. 1. dist. 87. c. 26. X. de V. S. c. 15. X. de for. compet.* quod latius demonstrat Zypæus *d. Jurisd. L. 1. c. 80. n. 1.* Cevall. *de cogn. per viam violentiæ P. 2. qv. 21. n. 4.* add. Brunnem. *J. E. l. 1. c. 6. membr. 7. §. 4.* Et nihil refert an causæ sint Civiles, an Criminales, in utrisque privilegium videtur ipsis concessum ob generalitatem constitutionis hujus Constantini, ratioque non minus hic congruit, ob quam ista ab Imperatore sancita fuit, ut scilicet tales personæ, dilationibus solutis, litem brevius finiant, justitiamq; suam eo citius consequantur. Et neutiquam contrariari huic meæ sententiæ existimo *c. 1. de Privil. in 6to.* Ubi statuitur, exemptos, quocunque privilegio non obstante, posse conveniri coram ordinariis, in loco delicti, contractus aut rei. Nam in eo agitur non de privilegio fori, clauso in Corpore Juris, & ob specialem favorem Imperatoris concesso, sed de extravagante aliquo, ut domicilii, originis &c. prout bene annotavit aliquoties citatus Carleval. *c. l. n. 592. seqq.* cui id adjici posse videtur, loqui textum de privilegio rei, non actoris. Carleval. in subsequente *n. 615.* etiam ex Juribus vere, non fraudulenter, cessis, competere privilegium fori asserit, sive sit ex causa onerosa facta cessio, sive ex lucrativa, adeo ut licet

E desi-

definant lite mota tales esse, nihilominus retineant hoc privilegiatum forum usque ad causæ finem *n. 618* & nulla differentia facienda, sive inter adversarios, sive inter causas, modo velis quatuor excipere casus, 1) si causa contra æque miserabilem sit, privilegiatus enim contra æque privilegiatum non fruitur privilegio suo. 2) Si causa sit feudalis. Hæc enim plane non ad Judicem ordinarium pertinet, neque hic in ea est Judex legitimus & competens, sed apud Domin. feudi vel pares curiæ contentiones de feudo sunt terminandæ, per *1. F. 18. pr. 2. F. 16. 2. F. 46.* Jam autem hoc fori privilegium tantumodo concessum est, quando agere potest miserabilis persona coram judice competente sui adversarii & legitimo. Et ob hanc rationem etiam 3) excipies res fiscales, quia ad has decidendas speciales Personæ sunt constitutæ, ut apparet ex *L. 5. C. d. bon. proscript. L. 1. seqq. C. ubi causæ fiscales.* Et tandem 4) in rationibus reddendis, de his enim generalis regula est, quod debeant in loco administrationis gestæ reddi *t. t. C. ubi de ratiocin.* Cæterum, quæ hactenus de adversario miserabilis personæ in foro ecclesiastico conveniendo, ex Jure Canonico diximus, ea, utpote ex rationibus Status Clericalis pontificii profecta, ad Consistoria Protestantium, quæ non minus, quam judicia secularia, Reipublicæ & Imperanti subsunt, quadrare non videntur, hinc privilegium laudatum hactenus in terris Protestantium non obtinere, arbitror.

§. VI.

Sed quid si Clericus Laicum provocare velit ex *L. diffam. C. d. ingen. man.* aut ex *L. si contendat 28. π. de fidei.* Numne illa provocatio recte instituetur coram judicio ecclesiastico? Quod merito asseritur. Non enim vocatur ut reus ad hoc judicium, sed tanquam futurus actor, qui ejus, quem convenire cupit, judicem, pro competente agnoscit & agnoscere debet, prout resp. Facult. Jurid. Franckofurd. teste Brun-

Brunnem. ad d. *L. 28. π. de fidei. n. 3. 7.* quod & adeo obtinet, ut nullum privilegium ab eo jure eximat provocatum Mev. *P. 3. def. 212. n. 3. def. 213. per tot.* ubi allegat Blareri verba, ex *tr. ad L. diffam. L. 4. c. 4. n. 2.* Qui in judicio L. Diffamari alicujus privilegii allegationem locum non mereri ait.

§. VII.

Et hæc de foro ecclesiastico Laicorum, ex jure actoris. Postea dispiciendum de casibus, quibus Laici ex jure Rei seu qualitate causæ, in judicio Ecclesiastico conveniuntur. Cum vero ad has causas principaliter nobis sit respiciendum, illæque variæ sint, in sequente capite de iis agemus. Id tantummodo hic addendum venit, quod dentur etiam Laici, qui, sive actorum, sive reorum vice fungantur, tamen ad ecclesiasticum forum pertineant, sunt scilicet domestici & familiares Episcoporum & Clericorum. Carleval Carleval. *T. 1. D. 2. n. 509.* nec non eorum uxores & concubinæ. *c. l. n. 402. in fine.* Sed re rite expensa, nihil singulare hic occurrit, nam si familiares Clericorum agant, Rei forum merito sequuntur, si vero conveniendi sint, tum ex persona mariti, patris aut domini forum sortiuntur v. Brunnem. *J. E. l. 3. c. 1. §. 12.* quamvis famuli foro domini hodie vix gaudeant. Dn. Stryck. in not. ad Brunnem. *d. §. 12.*

Cap. III.

De

Foro Laicorum Ecclesiastico ex Jure Rei, sive qualitate causæ.

§. I.

Tanquam Rei vel voluntarie sortiuntur Laici forum ecclesiasticum, vel contra suam voluntatem. Illud fieri po-

terit per prorogationem, & fiebat illa olim J. Civili vel consensu expresso *L. 18. π. d. Jurisd.* vel tacito e. g. litis contestatione *L. 4. C.* eodem. Ex eo etiam, prout bene notat Huber *Præl. ad π. Tit. d. Jurisd. pos. 12.* & *tit. de quibus rebus ad eundem judicem eatur, pos. 19.* prorogatio tacita colligitur, si quis citatus venit in Jus, audivitque petitionem actoris nec quicquam opposuit; sed rem totam, actoris consensu, distulit in sequentem terminum, nam hoc ipso in Judicem consensisse, eique se submisisse videri, atque ita etiam responsum fuisse refert in Causa Annei Suffridi, contra Annam Rinneri Grettinga *d. 28. Septembr. 1680.* Et, hoc quidem Jure Civili verum esse, neminem fugiet, sed quid obtineat hodie, anceps disceptatio est, an scilicet conventione nunc liceat privatis Judicii incompetentis Jurisdictioni se submittere, vel mutua conventione Jurisdictionem prorogare? Major DD. pars defendit negativam, ne scilicet præjudicetur Jurisdictioni ordinarii Magistratus, qui (1) Jurisdictionem patrimonialem habeat, & cui (2) commodum sportularum auferri non debeat, quæ potiora hujus sententiæ sunt fundamenta, eamque in specie tuetur Gail. *L. 1. obs. 40. n. 5.* Franzk. *L. 1. Resol. 17. n. 96.* Sed alii, ut Dn. Stryck. *in us. mod. π. ad tit. d. Jurisd. §. 22. p. m. 193.* & Dn. D. Lüd. Mencken. Præceptor meus honorandus, *Tract. Syn. Pract. π. tit. d. Jurisd. p. 25.* non quidem prorogationem esse abrogatam, interim tamen paulum infrequentem esse censent, cui etiam sententiæ priora argumenta non videntur obesse, nam quoad primum, Dominus Jurisdictionis, non obstante prorogatione, jurisdictionem suam illibatam in prorogantem, retinet: Quoad secundum vero, de intercepto sportularum lucro, ille non adeo queri potest, cum e contrario per prorogationem a molestiis cognitionis ac judicii peragendi, fuerit liberatus. Atque hæc sententia inde amplius confirmari videtur, quod quis actus voluntariæ

riæ

riæ Jurisdictionis, coram incompetente Judice expedire posſit, cum tamen ex his etiam ſportulæ percipiantur. Denique quem uſum haberet illa frequentiſſima in contractibus renunciatio fori, Er wolle ſich ſeines ordentl. fori hiermit per expreſſum begeben haben, vel Er gebe ſeinem Creditori hiermit freye Macht und Gewalt, Ihn an allen Orten und Enden, wo Er Ihn zu erſt antreffen möchte, zu belangen, maſſen Er ſich dieſer Poſt halber eines jeden Richters Jurisdiction wolle unterwürffig gemacht haben, ſi conventionalis prorogatio non obtineret amplius locum? Quod & adeo verum exiſtimant, ut licet etiam quoad ſtatus Imperii prorogatio fiat, nihilominus iſta ſubſiſtat, niſi obſtet expreſſum aliquod ſtatutum, ut eſt Hamburgi & in C. 12. X. *de for. comp. vid.* Stryck. *c. l.* §. *23. 24.*

§. II.

In hoc diſſidio, prior & communis ſententia, jam placet, quamvis enim prorogatio abrogata dici nequeat, attamen nec recepta probari poteſt, cum Status & inſtituta Germaniæ eam velut a ſe repulerint. Neque etiam hujus ſententiæ rationes antea ſatis eliſæ videntur. Nam Dominum jurisdictionis, non obſtante prorogatione, eam retinere integram, dici non poteſt, cum contrarium liquido appareat; Et eo gravior quidem jurisdictionis erit imminutio, quo frequentiores erunt prorogationes. Porro interceptum ſportularum lucrum Judex ordinarius, æquo animo vix digeret, ideo quod moleſtiis cognitionis ac judicii peragendi fuerit liberatus, nam is ferias haſce non optat, ſed mavult potius eſſe negotioſus, modo ſportulas ei percipere datum ſit. Ulterius a jurisdictione voluntaria ad contentioſam hactenus argumentari non licet, nam quoad eam lex ipſa perinde ſicut in Reconventione, prorogationem admiſit, quod de hac dici nequit. Deniq; conſueta illa fori renunciatio præ-

ſupponit contractum vel arreſtum, ex quibus juxta legum præſcriptum forum oritur, adeoque neutiquam probat, quod ſola & directa conventione jurisdictio prorogari queat. Juxta hæc igitur eo minus, quoad diverſa Territoria, locum inveniet prorogatio, quo præſtantius Jurisdictione vulgari eſt jus Territoriale. Et ſi per ſtatutum prorogationes impediri poſſunt, ſolum etiam Jus Territoriale iis impediendis ſufficit, cum ejus virtute ſtatuta, quando viſum fuerit, condi queant.

§. III.

Contra voluntatem Laici, tanquam rei, coram eccleſiaſtico judice comparere coguntur in cauſis vel eccleſiaſticis, vel temporalibus, vel quæ ſunt mixti fori. Qua in re declaranda, hypotheſes & partitiones Canoniſtarum fere ſequendæ ſunt, quod ita tamen faciam, ut quantum illæ uſui Proteſtantium conveniant, nec ne, ſimul admoneam, ſecurus interim num partitiones Canoniſtarum accuratæ ſemper ſint, ac juſta membrorum oppoſitione conſtent, an minus.

§. IV.

Eccleſiaſticas cauſas illas vocant, quæ ad Eccleſiam ipſam ſpectant, ſuntque iterum vel ſpirituales, vel eccleſiaſticæ in ſpecie ſic dictæ. Illæ ſunt juxta Gonzalez *ad c. 2. X. d. Simon. n. 14.* vel per *eſſentiam*, ut virtutes, gratia Spiritus Sancti, quædam per *cauſam*, ut Sacramenta Eccleſiæ, quæ efficiunt & cauſant gratiam; quædam ſunt tales per *effectum*, uti ſunt ſacramentorum adminiſtrationes, divinorum officiorum celebratio &c. quia deſcendunt ex gratia, vel ad illam diſponunt; Aliæ vero ſunt ſpiritualibus annexæ, quod dupliciter iterum contingit, vel antecedenter, vel conſequenter: antecedenter ſunt Eccleſiæ, altaria, veſtes & cœtera ornamenta, & Jus Patronatus, quæ omnia antecedunt Sacramentorum adminiſtrationem & divinorum cele-

bra-

brationem, & ad illa ordinantur; Consequenter vero annexæ dicuntur, quæ spirituales præsupponunt, & ab illis dependent, ut beneficia & decimæ. Ita Gonzalez, cujus verba hic inserere visum fuit, cum secundum eorum tenorem causas decreverimus tractare.

§. V.

Quæ per causam spirituales sunt, vel etiam per effectum, in Jure Canonico, & apud Pontificios sine ullo dubio Clero sunt reservatæ, ita quidem, ut ille eas ordinet, dispenset, & jurisdictionem quoad illas exerceat. Sed apud Protestantes, *Ordinatio* Liturgiæ, maximam partem, est penes Dominum Territorialem, qui eam per Senatum Ecclesiasticum peragere solet, hinc Clerus nihil abrogare, vel horum quid circa ritus & ceremonias Ecclesiæ constituere, potest. *Dispensatio* vero Sacrorum est penes Clerum, nam Princeps aut Collegia Ecclesiastica, quæ Ordinis sunt, sibi non arrogant v. Carpzov. *J. E. l. 3. D. 2.* Denique *Jurisdictio*, quoad controversias hic exortas Consistoriis tribui solet; Cum etiam Pontificii septem asserant Sacramenta, hinc respectu horum, etiam plures causas ad se trahunt Zypæus *d. Jurisd. L. 1. c. 33. n. 1. & n. 11.*

§. VI.

Sic enim primo Confessio ipsis est Sacramenti loco, occasione cujus quæritur, an, si laicus, deficiente Sacerdote, in casu necessitatis confessionem audiverit, confessaque ex postfacto revelaverit, ad ecclesiasticum Judicem sit trahendus? Clerico tale facienti peregrinatio imponitur perpetua *Can. 2. de Pœnit. Dist. 6.* & secundum *c. 12. X. de Pœnit. & Remission.* a sacerdotali officio deponendus ille, & ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendus. Sed quid de laico sentiemus? Hic quidem regulariter ad confessionem audiendam non admittitur, illaque,

que, quæ ipsi fit, non est sacramentalis, cum clavium potestas nulli competat, quam Sacerdoti: Interim tamen apud pios fideles veteres receptum fuisse hunc morem confitendi scilicet proximo in casu necessitatis, dicunt Pontificii, prout ex *c. 88. §. 2. de Pœnit. Dist. 1.* apparet, adeo, ut laici non minus ad secretum teneantur, quam ipsi Sacerdotes, nec cogi possint quidquam revelare a quocunque magistratu, & si confessus obiverit, quamvis sacramentaliter non sit absolutus, nec ab excommunicatione relaxatus, in sacro tamen sepeliri debeat *c. f. X. de sepult. c. 11. X. d. Off. Jud. ordin.* non minus, ac si a Sacerdote esset absolutus. Nam Dei misericordia inquit *d. can. 88. de Pœnit. Dist. 1.* est ubique, qui & justis (forte *istis* yid. editor. in not. β.) novit parcere; etsi non tam cito, sicut solverentur a Sacerdote. Quanquam ergo Laicus non comprehendatur sub ista pœna, quam in Clericos revelantes confessionem statutam diximus, poterit tamen extraordinarie puniri ab Ecclesiastico, cum crimen ipsum referatur ad offensam Sacramenti, neque etiam cogi ad revelandum potest. Imo, ut gravius puniatur, poterit remitti ad secularem magistratum. Obstat quidem, quod facta confessio laico, non proprie sic dicta sit confessio, & ideo non tam celanda, quam confessio ipsa. Respondent enim Pontificii, quanquam non sit Sacramentum perfectum, tamen est quid Sacramentale, quod procedit ex charitate & ideo etiam remitti peccata. Zypæus *d. Jurisd. L. 1. c. 45.* Cevallos *in Tract. de Cognit. per viam violentiæ qu. 86.* Marta *Tract. de Jurisd. P. 2. cap. 14.* Licet vero apud Protestantes confessio auricularis specialis, pro Sacramento non habeatur, ac ad obtinendam peccatorum remissionem haut sit necessaria, de quo Theologi amplius dispiciant, attamen si quis in casu necessitatis S. Cœnæ administrationem, eamque præcedens absolvendi munus sibi arrogaverit, eique alter speciale quid confessus fuerit, tum antea disceptata quæstio

locum

locum invenire poteſt, quæ etiam tanquam conſcientiæ rationes attingens ad Conſiſtoria referenda videtur.

§. VII.

Porro ad Sacramenta referunt Pontificii matrimonium, quod ex *Can. 10. XXVII. 2. C. 9. X. d. Hæret.* apparet, & probant ex Epiſtol. *ad Epheſ. 5.* ubi Apoſtolus dicit: *Sacramentum hoc magnum eſt.* Unde & matrimoniales cauſas ad eccleſiaſticum ſpectare judicium deducunt *C. 10. X. 3. C. 12. X. d. Exceſſ. Prælat. C. 16. X. d. Offic. & Poteſt. jud. delegati.* Zypæus *de Juriſdict. L. 1. c. 33. n. 2.* Marta *d. Juriſd. P. 2. c. 8. n. 1.* it. *P. 4. c. 70. n. 4.* adeo, ut Concilium Tridentinum *ſ. 24. de mat. Can. 12.* hanc fecerit conſtitutionem: *Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, anathema ſit.* Neque tantum de matrimonio judicare debere Clericos, prætendunt Canoniſtæ, ſed omnem omnino quæſtionem circa matrimonialia, ſive ſit de facto, ſive de jure, ſive de Poſſeſſorio matrimonii (diſſentit Cevallos *d. Cognit. per viam violent. qv. 19.*) ſive de clandeſtino matrimonio, ſive ſit cauſa principalis, ſive hujus matrimonialis acceſſoria temporalis pertinere ad eorum judicium; quia ſemper is Judex, qui de Principali cognoſcit, acceſſoriam ſimul terminare jubetur expreſſe per *L. 10. C. d. Judiciis* & in ſpecie in matrimonialibus per *C. 10. X. d. Donat. inter Virum & Uxor.* Zyp. *d. Juriſd. L. 1. cap. 33.* Marta *d. Juriſd. P. 2. cap. 8.* Tondut *de Prævent. jud. P. 2. cap. 22. n. 10.* Et nullum valet ſtatutum ſecularis circa matrimonialia Mart. *c. l. n. 7.* it. *P. 4. c. 70.* Zyp. *d. Juriſd. L. 2. c. 12.* Vivian. *d. Jur. Patronatus P. 2. L. 6. c. 1. n. 181.* Hinc pronuntiat de divortio & de ſeparatione a thoro & menſa. Tondut. *de Præv. Jud. P. 2. c. 23. n. 1. c. 28. n. 3.* de obſervandis ſponſalibus ib. *c. 23. n. 9* de dote, de damnis ac intereſſe incidenter, ib. *n. 6. 10.* Gutierrez *Pract. quæſt. L. 3. qv. 29. n. 28.* Nam ſi, absque mentione divortii, aut matrimonii, de dote conſtituenda agatur, ſo-

F lus

hus fecularis eſt competens. Chriſtin. *V. I. d 345. n. 19.* Gutierrez. *Pract. quæſt. L. I. quæſt. 44. n. 6. ſeqq.* Sin vero ſeparatim ſuper emenda deflorationis agatur, poterit illa cauſa inſtitui coram Eccleſiaſtico ib. *n. 20.* ac licet de incidentibus & acceſſoriis matrimonii judicet Eccleſiaſticus Judex, nihilominus tamen ſecularis abſtinere debet a matrimoniali, licet incidens ſit, coram ſuo judicio, in alia cauſa Marta. *cit. loc. n. 10.* (quod negat Cevallos *de Cognit. per viam viol. quæſt. 31.*) niſi cauſa matrimonii non tractetur inter conjuges, ſed inter alios, puta filium & extraneum, vel inter unum ex conjugibus & filium, tunc licet dubitetur an potuerit, vel non, contrahi matrimonium: Idem an illud matrimonium valeat, vel ſit nullum, & alias ſimiles quæſtiones opponi contingerit coram ſeculari. Quia ſcilicet talis quæſtio non reſpicit cauſam matrimonii inter conjuges, neque tractatur ad illum finem, neque aliquid facit ad eſſe, vel non eſſe, matrimonii &c. Mart. *l. c. n. 16.* Tondut *d. Prævent. jud. P. 2. cap. 23. n. 13. 14.* Quod idem etiam juxta Zypæum *c. l. L. 2. c. 12. n. 5.* obtinet, ſi de matrimonio agatur inter infideles.

§. VIII.

Occaſione vero matrimonii etiam alias ad ſuum forum trahunt Clerici cauſas, e. g. 1) de concubinatu cognoſcunt, quod crimen Canonicum volunt ex *Can. 4. XXXII. qv. 4.* quia concubinatus J. Civ. erat permiſſus per *L. 3. π. d. Concubinat.* Zyp. *d. Jurisd. L. 1. c. 47.* Gutierrez. *Quæſt. Canon. L. 2. c. 7. n. 20. ſeqq.* licet diſſentiat Tondut *d.* Prævent. jud. *P. 2. c. 28. n. 9.* ex hac ratione, quod hoc crimen J. Civili etiam fuerit punibile. Duplici autem via uti poterit Epiſcopus in hoc delicto: & procedendo per cenſuras prævia trina monitione ſecundum formam Concilii Tritendini, & procedendo ſecundum formam Juris Communis, nullis præviis monitionibus ad declarationem pœnarum,

narum, a sacris Canonibus impositarum, Tondut *c. l. n. 10.* Christ. *V. 2. Dec. 31. n. 6.* Salcedo. *Pr. Cr. Can. c. 83. p. m. 269.* §. *Laicus vero.* 2) Adulterium, nam quamvis *Canon. 40. XXIII. qu. 5.* adulteria punire ad Regum officium referat, & generaliter enormia flagitia, per seculares potius sint punienda, quam ecclesiasticos *c. 22. c. 39. XXIII. 5.* attamen cum adulterium hodie, paucis in locis, puniatur gladio, inquit Zypæus, d. Jurisd. *L. 1. c. 48.* sed adulterorum loculi magis excutiantur, nullam debere esse invidiam, ut crimen hoc mixti fori censeatur. *C. 1. X. de offic. ordin.* & Ecclesiasticus etiam laicum judicare possit *c. 7. Dist. 34. C. 19. X. de Converf. conjug.* Puniri vero adulteros pœna excommunicationis, quæ Ecclesiæ est propria *ex. c. 2. 6. X. d. Adult.* apparet. Consentiunt Marta *d. Jurisd. P. 2. c. 19.* Cevallos *d. Cogn. per Viam viol. qv. 88.* Salcedo *Pr. Cr. Can. c. 89. in f. p. 299.* §. *Laici vero adulteri* Reinking. *L. 3. Class. 1. c. 10. n. 19.* unde etiam præventioni est locus in hoc crimine Tondut *d. Præv. jud. P. 2. c. 28. n. 2.* Card. Tusch. *Lit. A. Concl. 228. Lit. M. concl. 293. n. 21.* Christin. *V. 2. dec. 31. n. 5.* modo non agatur ad effectum separationis thori. Sanchez *d. Matrim. L. 10. Disp. 8. n. 16.* 3) Stuprum, quod tamen etiam mixti fori esse dicunt, Tondut *l. c. C. 29. n. 10.* 4) Crimen incestus, quod itidem mixti fori ipsis existit. Zyp. *l. c. c. 49.* Cevall. *l. a. qv. 89. n. 3.* Marta d. l. *P. 2. c. 20.* Tondut *P. 2. c. 29. n. 1.* Salcedo *p. 292.* it. *p. 293.* §. *Laicus vero.* Hoc quæritur etiam, an incestus de jure Canonico puniatur pœna incestus de Jure Civili, & respondetur, quod non, juxta Christin. *V. 2. dec. 31. n. 8.* quia quivis judex secundum suas leges judicare solet. Et denique etiam 5) Crimen contra naturam, quod in Clericis degradatione & detrusione in monasterium; in laico excommunicatione, punitur. *C. 4. X. d. Excess. Prælat.* Zyp. *l. c. c. 50.* Marta *P. 2. c. 15.* Cevall. *qv. 87.* Tondut *P. 2. c. 28. n. 11.*

§. IX.

Apud Proteſtantes, in iſtis territoriis ubi Conſiſtoria ſunt conſtituta, cauſæ matrimoniales ad ea etiam pertinent. Et licet multum diſceptetur, annon iſtæ ad forum Civile potius referendæ ſint, recepta tamen eſt prior ſententia, forſitan ex his rationibus, 1) quia originem habent ex jure Divino, 2) quia etiam formam ex eo accipiunt, & 3) ob finem ut matrimonium carnale deducat nos in meditationem, conjugii ſpiritualis, inter Chriſtum & Eccleſiam, 4) quia in jure Canonico præprimis de matrimonio actum. 5) Multæ hic quæſtiones concurrunt, in quibus plus conſcientiæ, quam ſcientiæ, requiritur, juxta Brunnem. *Jus Eccl. L.3. c.1. §.16.* Carpz. *Jurispr. Conſiſt. L.1. def.7.* Interim tamen notandum etiam eſt, quod in foro ſeculari quoque de iis agi queat, ſi vel cauſa concernat alimenta, vel agatur de matrimonio ex cauſa Politica prohibendo. Nam talibus nuptiis prohibendis interveniſſe Senatum Stralſundenſem, & Conſiſtorio Gryphsvvaldenſi talem cauſam avocante, pro Senatu in Supremo Tribunali Wiſmarienſi judicatum eſſe, refert Mev. *P.3. dec. 280.* Communiter adhibemus diſtinctionem, utrum quæſtio ſit de facto, quod vinculum matrimoniale non reſpiciat, ſcilicet an matrimonium contractum ſit, quantum ad effectum ſucceſſionis, repetendæ, dotis &c. & ſpectat ad ſecularem jurisdictionem; An vero de jure vinculi matrimonialis vel conſtituendi, vel impediendi aut diſſolvendi quæratur, num ſcilicet hoc vel illo gradu, vel inter tales perſonas contrahi poſſit vel debeat, tum eſt Jurisdictionis eccleſiaſticæ Dn. Stryck. *ad Brunnem. c.l.* §. *17.* conf. Reinking. *d. Reg. Sec. & Eccleſ. L.3. Claſſ. 1. c.10. n.20.* Imo in quibusdam Haſſiæ & Palatinatus locis, controverſiæ matrimoniales a ſolis politicis deciduntur. Stryck. *cit. diſſ. d. Poteſtate Clericorum in ſecul. c.2. §.6.* Reſpublica Norica deciſionem earundem aſſignavit ſuo dicaſterio.

dicasterio. Heinr. Lynck. *Diss. de Jud. Reip. Norimberg. c.2. §.1.* Cœterum crimina, quæ Canonistæ, tanquam matrimonialia, & iis annexa, ad forum ecclesiasticum trahunt, apud nos per secularem magistratum solum puniri videmus. De stupro tamen & satisfactione stupratæ alimentisque proli præstandis, occasione matrimonii in Consistoriis etiam quandoque agitur v. Carpz. *Consist. l. 2. D. 231. l. 3. §. 72. n. 8. 9.* Brunnem. *J. E. l. 2. tit. 18. §. 25.*

§. X.

Ad spirituales res per Effectum secundo pertinet officiorum divinorum celebratio. Circa quam tractanda nobis se offert materia de violatione festorum, turbationeve divini cultus. Mixtique esse fori hæc crimina ex Zyp. *c. l. c. 58.* & *L. 2. c. 15. n. 6.* apparet, & refert ille in posteriore loco, Choppinum *d. Sac. polit. L. 3. t. 4. n. 24.* qui in ea opinione est, non posse Ecclesiasticum judicem hoc crimen punire in laico, cum sit contra expressum *Cap. 2. de Immunet. Eccles. in 6to.* Jure Civili vindicatur per Constitutionem Imperatoris Marciani *L. 5. C. de his, qui ad Eccles.* Hodie nostris moribus ista ad secularem pertinent judicem, qui & Sabbathi violatores afficit pœnis non minus ac eos, qui aliquid durante divino cultu in Ecclesiis committunt. Mulctam vero solvit transgressor, die sabbathi operas faciendo, VI. grossorum, & si equos adhibet XII. prout sonat Ordin. Eccl. *in art. gen. 17. §.* Es soll auch an Sonn- und Feyertagen rc. verb. Und da Er hieran brüchig befunden, soll Er wegen der Hand-Arbeit 6. gl. wegen der Roß-Arbeit 12. gl. in den GOttes-Kasten, auf massen wie oben gemeldet zur Straffe erlegen. it. in Decreto Synod. de *Anno 1624.* §. Alle Hand- und Pferd-Arbeit an Sonn- und Feyertagen verboten verb. oder von denen, so mit der Hand arbeiten 6. gl. von denen aber, so mit denen Pferden arbeiten 12. gl. iedesmahl unnachläßig gefordert,

dert, und der Kirchen zugeeignet werden, prout etiam latius deducit Carpzov. *L. 2. d. 252.*

§. XI.

Non autem cultus divinus tantum turbatur eo tempore, quo sacra fiunt, sed etiam, quando quis id facit, quod ad contemtum Nominis divini spectat. Hinc Pontificii Blasphemiæ crimen ecclesiasticum, aut ad minimum tamen mixti fori esse contendunt. Marta *P. 2. c. 13.* Cevall. *qv. 85.* Salcedo *c. 114.* §. *Et quidem, p. 386. seqq.* Hinc etiam in hoc crimine præventioni locus erit, juxta Tondut *P. 2. c. 28. n. 6. seqq.* Istud vero ad nostra Consistoria minime pertinere, experientia quotidiana docet, ac nostros Prætores Stadt-Richter videas sententiam ferre, si blasphemus quis loco isti, quem vulgo appellamus Narren-Hauß includendus; aut virgis cædendus, aut lingua, quæ protulit istas blasphemias, privandus sit.

§. XII.

Huc etiam pertinet Sortilegii Crimen, quod itidem secundum Pontificiorum sententiam, si non ecclesiastici, tamen mixti fori, est Zyp. *d. Jurisd. c. 56.* Marta *P. 2. c. 12.* Damnatur autem illud literis divinis & utroque jure *C. 1. & t. t. X. de Sortileg. c. un. XXXVI. qv. 1. L. 5. 6. C. d. malef.* inprimis autem tum ad solum ecclesiasticum spectat cognitio hujus criminis, si hæresin sapit, Zyp. *d. l.* In nostris Territoriis autem regulariter secularis de eo cognoscit, uti satis luculenter ex Carpzov. *Cr. P. 1. qv. 48.* apparet.

§. XIII.

Ad cultum nominis divini istos quoque actus referri debere, quibus sub invocatione ejusdem aliquid promittitur vel asseritur, Juramenta puto, omnes mecum, nisi fallor, sentient. Qua ex ratione, juramentorum causas perjuriique crimen, ad Magistratum ecclesiasticum referunt Pontificis asseclæ, standumque in his causis Juri Canonico

esse

esse censent, Gutierrez *P. 3. c. 6. n. 5.* Zyp. *L. 1. c. 46.* it. *L. 2. c. 14.* Marta *P. 4. Cent. 1. cas. 72. n. 2.* quod eo extendunt, ut, si v. g. juramentum accesserit contractui alicui, hic eo ipso subjiciatur foro ecclesiastico. Carleval. *Tit. 1. D. 2. n. 204.* Dispensat quoque circa juramenta Episcopus, si sine detrimento salutis æternæ servari nequeunt, alias solus Papa secundum Gutierrez *quæst. canon. L. 2. c. 22. n. 23.* Salcedo *p. 324. §. nec illud*, qui etiam tantum perjurum absolvit. Marta *P. 2. c. 46. n. 10.* Hinc inhibetur judex Laicus ab Ecclesiastico, pendente lite, de absolutione juramenti, procedere in principali Mart. *P. 2. c. 46.* Absolutio a juramento autem ideo rebus spiritualibus annumeratur, quia ad tranquillandam facit conscientiam. *c. f. de foro comp. in 6to c. 34. X. d. Elect. & Elect. pot. c. 13. X. d. Jud. C. 28. X. d. Jurejurando.* Neque de eo statutum facere potest secularis, nisi sit de perjurio vitando Zyp. *L. 2. c. 14.* Vivian. *L. 6. c. 1. n. 181.* Notandum etiam est, nonnunquam mixti fori esse causam Juramenti & perjurii. Carleval. *Tit. 1. D. 2. n. 209.* seqq. *n. 271.* seqq. Marta *d. Jurisdict. P. 2. c. 9.* Cevall. *qv. 31. n. 8.* In nostro Romano Germaniæ Imperio eo minus dubii habebit hæc res, cum jure Communi dispensationes a Prætore factas fuisse sciamus ex *L. f. π. ad municip. L. f. π. d. re militar.* & Imperator in aliquibus constitutionibus Imperii juramenta remiserit personis, quæ inferiori alicui jurejurando erant obligatæ propter causam utilitatis publicæ, ut est casus in R. J. *d. Anno 1555.* §. **Und sollen diejenigen, so in den Crayssen ꝛc.** & §. **Und sollen in diesen beyden Verordnungen.** Inde est, quod Cameræ Imperialis jurisdictio, quoad absolutionem & relaxationem juramenti, ad effectum agendi, fundata sit. Ord. Cam. Imp. *p. 2. tit. 24.* modo excipere velis absolutionem a peccato, sive remissionem spiritualem, quæ ad ministerium ecclesiasticum pertinet v. Reinking. *L. 3. Class. 1. c. 10. n. 54.* seqq. & hoc

in

in Saxonia nostra etiam observari, existimo testante experientia, neque immerito. Relaxatio etiam juramenti non potest fieri, nisi ab eo, qui in jurantem habet imperium, & in cujus imperio isthæc potestas est comprehensa. Hujus quippe est, actiones & jura subjecti temperare & circumscribere, prout ex usu esse ipsi videbitur. Subjectus autem juramento suo non potest præjudicare Reipublicæ, interim tamen Sacerdotes præ JCtis hoc possunt sibi arrogare speciale, quod soleant cognoscere, quænam juramenta, quibus de causis, relaxari queant.

§. XIV.

Ita quoque cognitionem de Usurariis contractibus sibi vindicarunt Clerici per *t. t. X. d. Usuris* putantes, usuras jure divino esse prohibitas Carleval. *D. 2. n. 11.* errorem que in fide committere, qui licitas istas esse dicit *ib. n. 12.* Cum igitur a Jure Civili prohibitum hoc Crimen neutiquam esse contendant, mere ecclesiasticum illud asserunt. Sed magis placet eorum opinio, qui & Jure Civili prohibitionem talem factam fuisse, adeoque hoc crimen mixti fori esse putant. Marta *d. Jurisd. P. 2. c. 7.* Carleval. *T. I. D. 2. n. 771.* Christin. *Vol. 2. d. 31. n. 2. seqq.* Gutierrez *qv. Can. L. II. c. 18. n. 13. seqq.* ubi speciales nonnullos casus tradit, in quibus vel mixti fori est, vel mere ecclesiastici; Alias si quæstio est de facto, secularis sese intromittere potest, si de jure, ecclesiastico relinquitur, Christin. *c. l.* quænam vero dicatur quæstio juris, & quænam facti, explicat Tondut *P. 2. cap. 26. n. 2.* Et Christinæus ad probandum contractum Usurarium inter alia requirit, illum, in cujus gratiam contractus fuit initus, consvevisse alias fœnerari. *Vol. I. Dec. 77. n. 12.* & quisnam Usurarius manifestus dicatur vid. Salced. *pag. 314.* Quoad praxin hodiernam defertur cognitio hujus criminis etiam potestati seculari. Ord. Pol. Imper. *d. Anno* 1548. & 1530. *sub Tit.* Von wucherlichen Contracten *d. Anno* 1501.

Eadem

Eadem rubr. §. Nachdem auch verb. gebieten auch hiermit allen und jeglichen Geistlichen und Weltlichen Richtern, Urtheilern und Gerichten, wann solche wucherliche unziemliche oder gefährliche Contracte an sie gebracht werden. Reinking. *L. 3. Cl. 1. c. 10. n. 62. seqq.* Hocque in Provinciis nostris Electoratus Saxonici, vix quicquam certius est Carpz. *L. 3. T. 1. def. 2.* ut liquet ex Ordinat. Torgav. *d. Anno* 1583. §. Von Wuchern, wucherlichen Contracten. In quibus non minus, ac in toto Imperio Rom-Germanico, quivis contractus habetur pro usurario quincunces excedens. Carpz. *L. 2. T. 20. d. 320. n. 7.* Et præter infamiam *L. 20. C. de his qui not. infam.* Usurariis manifestis impo sita est pœna quadrupli, denegatur ipsis sepultura honesta, in testamento a testimonio arcentur, nec testamentum facere possunt *C. 3. X. de Usur. c. 2. d. Usur. in 6to.* Præterea privantur quoque quarta sortis parte *R. I. d. Anno* 1577. *rubr.* Von wucherlichen Contracten, & denique extraordinaria carceris vel relegationis pœna puniuntur. Carpz. *Pr. Cr. P. 2. quæst. 92.*

§. XV.

Non ultimo, sed plane primo loco fuisset referendum Crimen hæreseos & Schismatis; ad violationem enim cultus divini istud, omnium DD. sententia, omnino pertinet. Qui proprie dicantur hæretici, ostenditur in *Can. 28. XXIV. 3.* quoque modo differant a Schismaticis, tradunt *canones antecedentes 26. 27. ejusd. causæ & quæst.* Mart. *P. 2. c. 38. n. 2. seqq.* quæ tamen Theologis excutienda relinquimus. Et tales sive sint Clerici, sive Laici, ab Ecclesiastico judice judicantur. Zyp. *L. 1. c. 41.* Carleval. *T. 1. D. 2. n. 770.* Quis enim de fide melius sententiam ferre potest, quam is, qui fidei articulos docet, argumento communis istius regulæ, cuivis artifici in sua arte credendum est? Et secularem potestatem definire non posse de rebus fidei, multis aliis argumentis probare

G cona-

conatur Farinac. *Prax. qv. 186.* testante Carleval. *t. l. n. 769.* cùm expresse hæc cognitio interdicta sit cuivis laico per *c. 18. d. Heret. in 6to.* Mart. *l. c. cap. 35. n. 6.* Cevallos. *l. c. qv. 25. n. 47.* Et huc referri meretur Apostasia quoque, quam itidem fori ecclesiastici esse censet Carleval. *Disp. 2. n. 770.* Interim tamen non desunt quidam, qui Schismatis causam mixti fori esse contendunt Mart. *c. l. c. 38.* Qui etiam forsitan ob hanc rationem quævis collegia illicita, conventiculaque privata, partim ad secularem judicem, partim ad ecclesiasticum pertinere ait. Mart. *P. 2. c. 23.* cui assentit Zypæus *l. c. cap. 52.* Apud nos hodie quæstiones de fide a Consistoriis, aut Theologico aliquo Collegio tractantur, earumque decisio plerumque Senatui Ecclesiastico relinquitur. Brunnem. *J. E. L. 3. c. 1. §. 8.* An vero & quibus pœnis errantes in fide afficiendi sint, id potissimum Magistratui Politico relinquendum est, qui quidem in his rebus definiendis non Jus Canonicum & Civile, sed potius indolem religionis, & Jus Divinum, respicere debet. Et hæc de Causis spiritualibus stylo Pontificiorum.

§. XVI.

Spiritualibus annexæ Causæ sunt, ut supra diximus, partim antecedenter tales, quæ antecedunt Sacramentorum administrationem & divini cultus celebrationem. Sic prius ædes, in iisque altaria, ædificantur, quo eo melius cultus divinus solenniter possit suscipi curaque harum rerum certis committitur personis, quæ tam respectu reddendarum rationum, quam & administrationis, quam gerunt, ad forum Ecclesiæ pertinent. *C. 5. Dist. 89. C. 10. XVIII. 2. Can. 8. de Consecrat. Dist. 1.* Mart. *P. 4. Cent. 2. cas. 158.* Zyp. *c. l. c. 42.* Carleval *l. a. n. 168.* Et laicus, conventus rei vindicatione, propter rem Ecclesiasticam, regulariter trahitur ad judicem Ecclesiasticum, nisi probabiliter neget rem esse Ecclesiæ, tum enim secularis adiri poterit juxta Gutierrez.

qv. Can.

qv. Can. L. 1. c. 34. n. 7. Generalis enim in Jure nostro tradita regula, *connexa judicari sicut ea, quibus connectuntur, assumereque eandem naturam, ex connexione & cohæsione L. 43. π. d. R. V. L. 13. pr. π. Comm. divid.* in favorem fori Ecclesiastici explicatur a Canonistis. Nostris e contra moribus licet ædium sacrarum, altarium, ædium parochialium, cœterarumque rerum ac bonorum Ecclesiæ cura competat Principi & Consistoriis. Carpzov. *L. 2. d. 299. d. 334. n. 9.* (sic enim videmus sine justa rationabili & sufficiente causa alienationem non permitti, Carpzov. *L. 2. d. 301.* hancque adhuc præcedere debere causæ cognitionem & consensum magistratus Ecclesiastici *def. 302. seqq.* Imo Locatio bonorum ecclesiasticorum non subsistit, nisi causæ cognitio & decretum magistratus adsit *def. 304.*) de hac cura tamen etiam aliquid participat Patronus & magistratus secularis per *L. 7. π. d. Off. Proconf.* & ipse Pontifex *boni Principis esse*, ait, *ac magistratus, Ecclesias contritas & conscissas restaurare can. fin. Dist. 96.* neque etiam Parochiani ab hac cura prorsus excludendi Carpzov. *c. l. d. 336.* Subsellia quoque templorum, quæstionesque de illorum jure, sicut alias res Ecclesiarum subjacere judicio ecclesiastico, videre licet ex Carpzov. *Lib. 2. Tit. 13.*

§. XVII.

De fraudulosa rerum Sacrarum, ex loco sacro, furtim facta surreptione, nobis nunc aliquid dicendum erit. Sacrilegium variis modis committi Jure Canonico per *c. 20. 21. XVII. 4.* dubio caret, quod & in terris Imperii nostri servari testatur Carpzov. *Pr. Cr. P. 2. qv. 89. n. 7.* per *art. 171.* Ordinat. Criminal. communiterque crimen illud mixti fori censetur. Zyp. *d. Jurisdict. c. 33. n. 15. seqq.* it. *cap. 57.* Carleval. *c. l. n. 771.* Mart. *P. 2. c. 11.* Cevall. *qv. 59. n. 6. seqq.* & *qv. 90.* Hinc obtinet in hoc crimine præventio Tondut. *l. c. cap. 28. n. 12.* conf. Salcedo *l. c. cap. 91.* In sacrilegium

autem incidit non auferens tantum, sed & contrectans, sciens aut monitus detinens; Zyp. *c. 53. n. 18.* Hodie plane non amplius Ecclesiasticus Judex de eo cognoscit, sed solus secularis, experientia hoc satis comprobante.

§. XVIII.

Cum rebus sacris connexitatem quandam habent religiosæ, quæ tales per mortui illationem Jure Civili *l. 2. pr. §. 5. l. 44. π. de religios. l. 6. §. 4. 5. l. 7. π. de divis. rer.* efficiuntur. Hinc Pontificii etiam jus sepulturæ, & quæstiones circa eam incidentes ad Ecclesiam pertinere voluerunt, inprimis cum & cœmeteria ad hanc spectarent. Distingvendæ vero erunt hæ quæstiones, in Civiles & Sacras. Civiles enim si occurrunt circa sepulturam e. g. Si disputetur inter familiares & consangvineos de jure sepeliendi, vel an arma & insignia sint suspendenda, secularis Judex erit competens; si vero sacræ e. g. in quantum locus sit religiosus & extra commercium, ecclesiasticus cognoscit. Zyp. *d. Jurisd. L. 1. cap. 36*, adeo, ut, pro circumstantiarum ratione causæ sepulchrorum mixti fori possint dici. Hodie Consistoria nostra in hac re multum habent potestatis. Illorum enim decisioni relinqvuntur quæstiones, an quis sit sepeliendus, quomodo hoc fieri debeat, an honeste, an minus, an hæ vel illæ ceremoniæ in exequiis celebrandis sint adhibendæ, an quis in cœmeterio sepeliendus aut in Ecclesia? & ejus generis plures aliæ. Ord. Eccl. Sax. art. 15. **Von Todten und Begräbnüssen.** Reinking. *L. 3. C. 1. c. 10. n. 66.* conf. Carpzov. *L. 2. Tit. 24.* In specie Jurisdictio in cœmeteriis ad Consistorium pertinet Carpzov. *l. 1. Resp. 86.* quamvis judici ordinario, qui simul Patronus est, illa etiam competere possit, si usus ita velit v. Dn. D. Stryck. *ad Brunnem. J. E. l. 2. c. 2. §. 12.* quemadmodum aliquando controversiæ de sepulchris hæreditariis, eidem judici ordinario subjiciuntur.

§. XIX.

§. XIX.

Habent etiam loca sacra immunitatem Ecclesiæ. Nam non tantum in domibus Ecclesiarum, non debet Judex Laicus judicare, nec hospitium quærere *c. 1. X. d. Immunit. Eccles. L. 1. C. de Episcop. & Cler.* Verum etiam in Ecclesia vel cœmeteriis causæ sanguinis agitari non debent *C. 3. X. eod.* & delinquentes, qui ad eam confugiunt, violenter extrahendi non sunt *C. 6. X. eod.* Atque hujus immunitatis cognitionem, imo & Criminum, propter quæ ad locum sacrum confugiunt delinquentes, ad se trahunt Clerici, religioni qui addicti sunt Pontificiæ. Hinc inter eos quæritur, quinam rei hocce privilegio gaudere debeant, an e. g. debitores Gutierrez *qu. Pract. L. 1. qu. 1. n. 1. seqq.* an assassinii rei *ib. L. 3. qu. 7. n. 34. seqq.* an blasphemus & hæreticus id. *L. 3. qu. 4. n. 19.* Crimen læsæ Majestatis qui commiserunt &c. de quibus & pluribus aliis *vid. cit.* Gutierrez. *l. c. qu. 4. 5.* Marta *P. 2. c. 50.* Sed melius existimarim facere illos, qui hujus immunitatis cognitionem mixti fori dicunt. Olim enim neque Ecclesiis omnibus data erat hæc immunitas, neque solis, ad statuas enim Principum confugientes eadem quoque fruebantur. Imo videtur etiam, sine concessione Imperatorum istud privilegium olim locum non habuisse. Sic in Concilio Carthaginensi *Anno 309* decreverunt Patres Africani Legationem mittere ad Imperatores, ut pro confugientibus ad Ecclesiam, quocunque reatu involutis, Legem de gloriosissimis Principibus mererentur, ne quis eos auderet abstrahere, uti ex *Cod. Can. Eccles. Afric.* a Christoph. Justello edito, refert B. Ziegl. *ad Lancell. Instit. J. C. L. 2. T. 20.* §. 6. *verb. quanto magis convenit.* Apud Protestantes dubio caret, quod tota hæc res subsit arbitrio Imperantis, qui etiam Ecclesiis aut Cœmeteriis immunitatem delinquentibus profuturam, concedere non solet.

§. XX.

Tandem etiam huc refertur Jus Patronatus; quid hoc sit, quibus modis acquiratur, in quibusnam consistat, & quando amittatur vel transeat *vid.* in Erasm. Ungebaueri *Comment. ad Decretal. Tit. de Jure Patronatus.* Ut plures alios, qui vel professa opera, vel per occasionem de Jure Patronatus egerunt, nunc taceam. Sed nonne assertioni Canonistarum, qua Jus Patronatus, ad forum Ecclesiasticum trahunt, obstat, 1) quod Jus Patronatus competat Laico & quidem jure proprio *c. 3. 28. X. de Jur. Patron.* adeoque etiam controversiæ de eodem tractandæ decidendæque sint coram laico judice. 2) Quod non sit res spiritualis, cum acquiratur Jure hæreditario. *Can. 35. 36. XVI. 7.* quod vero hoc modo acquiritur, spirituale non est *C. 1. X. d. Præbend. & Dign.* Ast respondetur ad prius, Jus Patronatus Laicis ex gratia concessum esse, loco alicujus remunerationis, ut alii etiam, ad bene merendum de religionis cultu eo magis invitarentur; Et ad posterius, licet non sit causa spiritualis, interim tamen spiritualibus esse annexam, & ideo non nisi Ecclesiastico judicio definiri posse *C. 3. X. d. Jud.* Quanquam vero hoc omnes Juris Canonici Doctores affirmant, tradunt tamen nonnulli eorum etiam casus, in quibus Laicus Judex, de Jure Patronatus cognoscat. Ejus sententiæ est Marta *d. Jurisd. P. 2. c. 41.* qui IV. recenset. Primus est in *cap. 41. X. d. Test.* quando agitur de Patrono præsentandi jure privando; Secundus, quando agitur de Jure Patronatus accessorie cum Universitate Mart. *c. l. n. 11. seqq.* Cevall. *qu. 30. n. 6.* Tertio Laicus Judex est competens in actione personali, qua agitur ad id, quod pro Jure Patronatus promissum est, & condemnare potest promissorem, ut observet promissa. Quarto si compromissum fuerit in Laicum, cujus rei rationem hanc reddit Marta *n. 17.* quod arbitraria sint redacta ad instar judiciorum, adeoque in omnibus causis, in quibus

Judex

Judex Laicus potest cognoscere, possit etiam fieri compromissum & transactio. Quos casus omnes etiam habet Vivianus *d. Jure Patron. L. 11. c. 10.* conf. Cevall. *qv. 94.* In Brabantia totius hujus Juris cognitio ad secularem judicem, vi concordatorum pertinent, juxta Christin. *Vol. 1. d. 352. n. 14.* Apud nos in Saxonia Jus Canonicum hoc in passu obtinet, & causæ Juris Patronatus coram Consistoriis regulariter tractantur, per verba Ordin. Eccles. Von beyden Consistorien *T. 7.* Was Sachen ins Consistorium gehörig *n. 3.* Alle Sachen, die Pfarrer- Kirchen- und Schul-Diener Vocation, Amt, Dienst, rc. belangen. Carpz. *L. 3. d. 2. n. 20.* Nam supra dictos IV casus a Jurisdictione Consistoriali etiam eximendos esse puto. Non tamen cum Brunnemanno *J. E. l. 3. c. 1. §. 31.* svaserim, ut in possessorio lis apud Civilem judicem intendatur, ut de matrimonialibus causis dici solet. Sed possessorium non minus ac petitorium ad forum Ecclesiæ pertinere existimo ex *L. 10. C. d. Judic.* nisi in aliam causam quæstio de Jure Patronatus incidat.

§. XXI.

Spiritualibus annexæ causæ per consequens, sive quæ ab illis dependent sunt ex doctrina Canonistarum Decimæ & beneficia. Unde nomen decimarum ortum fuerit, quomodoque earum definitio sit formanda ex. *c. 5. 6. 7. 13. 15. 17. 22. X. d. Decim.* innotescit. Cumque juris divini i. e. a Deo institutæ sint *C. 25. 32. X. Eod.* Lege tamen solum particulari, etsi hic non eadem omnium sit sententia, vid. Brunnem. *J. E. l. 2. c. 6.* §. 2. ibique Stryck. *in not.* videntur eæ propterea Ecclesiasticorum judicio subjici, prout faciunt Dartis *de Benef. Sect. 1. c. 1. p. 2. col. 2. D. verb. Tertio jus Decimarum.* Zyp. *L. 1. c. 39.* Carleval. *D. 2. n. 153.* Cevall. *qv. 25. n. 15.* Hoc tamen ad exemplum aliarum causarum spiritualium, intelligi volunt, ut scilicet ad dictum forum pertineant quoties quæstio juris est: Si vero circa factum lis mo-

hi moveatur, ad laicum tantum, vel ad utrumque spectet. Hinc laicum, conductorem decimarum, non posse conveniri actione personali ex locato ad mercedem, coram judice ecclesiastico, licet, vice versa, debitor decimarum ad harum præstationem ab eodem adigi queat, docet, Gutierrez. *Pr. qv. L. 3. q. 26. n. 2. 10. 11.* quod extendit Tondut *P. 2. c. 25. n. 5.* ad furem decimarum aut alium fraudatorem laicum. Regulariter vero inter magistratum Clericum & secularem in causis decimarum temporalibus præventioni locus est, quod & obtinet in possessorio reliquorum beneficiorum Mart. *P. 1. c. 39.* Qua ratione vero fiat ista cognitio Possessorii a Laico *vid.* Christin. *V.* 1. *d. 203. n. 30. Vol. 5. d. 222. n. 37.* Gutierrez *qv. Can. L. 1. c. 34. n. 20.* sqq. Atque cum his fere congruit hodierna Praxis in Saxonia Brunnem. *J. E. L. 3. c. 1. §. 25.* Carpz. *L. 1. d. 138.* Reinking. *L. 3. d. 1. c. 10. n. 7.*

§. XXII.

His quasi coronidis loco jungendam esse existimavi materiam de Salariis. Si enim debent adesse homines, qui sacris vacent, qui Sacramenta administrent, verbum divinum prædicent, aliaque boni Pastoris suscipiant officia, necesse omnino etiam erit, ut de eorum sustentatione simus solliciti. Parochi enim honeste debent sustentari & laboris impensi justam mercedem accipere *C. 16. X. d. Presb. & Dign.* Sed cuinam magistratui tribuamus hanc curam? Si sermo est de salariis jamjam constitutis nunc vero a Diœcesanis denegatis, tum magistratui seculari incumbit providere, quo constituta summa justo tempore & termino præfixo, præcise exsolvatur. Ordin. Elect. *art. gen. 20. §.* Und nachdem verb. sollen die von der Obrigkeit dran seyn, und mit Fleiß verschaffen, daß den Pfarrern und Kirchen-Dienern auf bestimte Zeit Ihre gebührende Besoldung ohne allen Abbruch oder Vortheil vollkömlich gegeben werde, damit Sie sich der Billigkeit nach nicht

darüber

darüber zu beklagen haben. Si vero quæstio oritur de diminuendis aut etiam augendis salariis, tum ad Ecclesiasticum forum pertinet. Sic verba quoque accipienda videntur in Ordin. Der beyden Consistorien *T. 7.* Was Sachen ins Consistorium gehörig verb. darzu der Kirchen-Diener Besoldung betreffen. Et ob hanc rationem salaria etiam ministrorum Ecclesiæ Consistorii matriculæ inserenda *vid.* Carpzov. *L. 1. T. 7. per tot.*

§. XXIII.

Priusquam vero ad causas mixti fori perveniamus, de *Possessorio causæ spiritualis* liceat nobis quædam adjicere. Quæritur nempe, an sit istud accensendum temporalibus, an vero ecclesiasticis, & an adeo judex secularis de eo cognoscere possit, vel non? Nonnulli causam possessoriam rei spiritualis vel qvasi spiritualis, temporalem esse, ideoque per secularem judicem definiri posse existimant. Covarruv. *2. 469. 1.* quod etiam in Gallia observari testatur Gutierrez *qv. Can. L. 1. c. 34. n. 14.* Alii vero, ut citatus Covarruvias, hoc plane negant, nulloque modo pertinere posse hanc causam ad laicum judicium, contendunt. Nos vero in nostra Saxonia omnino istam temporalem esse atque coram seculari ventilandam statuimus cum Gail. *L. 1. c. 38. n. 3. 4.* Carpzov. *L. 1. d. 138. n. 7.* exceptis iis casibus, de quibus supra locuti sumus.

§. XXIV.

Hucusque de causis spiritualibus, iisque annexis s. Ecclesiasticis proprie sic dictis. Nunc sequuntur istæ, quæ nonnunquam ad ecclesiasticum, quandoque vero ad seculare pertinent forum Marta. *P. 2. c. 1.* Carpz. *L. 3. d. 27. n. 1.* & harum nonnullas jamjam in supra dictis notavi. Hic quædam specialia circa eas adhuc observabimus, reliquas

H postea

postea etiam traditari. Putant igitur Canonistæ in mixti fori causis ecclesiasticum esse competentem judicem etiam inter Laicos Vivian. *L. 6. c. 1. n. 158.* Et laicus laicum in iis impune coram Ecclesia convenit. Gutierrez *L. 1. qv. 44. n. 5.* In iis præventioni locus est. Tondut *P. 2. c. 28. n. 1. &c.* Præter superius recensitas causis mixti fori annumerantur causæ ultimarum Voluntatum. Dispositionum enim testamentariarum ad pios usus cognitio Episcopo & laico competit *Clem. 1. d. ultim. volunt.* Brunnem. *l. 2. c. 12.* §. 11. *L. 1. c. 6. m. 6.* §. *4.* Carleval *T. 1. D. 2. n. 333. seqq.* Marta *P. 2. c. 10.* Covarr. *1. 49.* 1. & Ecclesiasticus incidenter cognoscit de hæreditatis successione, Cevall. *qv. 30. n.* 12. Et Laicus judex de legatis ad pias causas cognoscens hoc faciet secundum perscripta canonum, ex quibus decisio piarum causarum dependet. Dn. Stryck. ad Brunnem. *l. 2. c.* 12. §. 11. *verb. Est mixti fori.* Apud nos quid in hoc pussu obtineat Dn. Stryck. *l. a.* tradit, scilicet esse hoc in arbitrio Principis, an velit per Consistoria, vel per officiales suos seu advocatos fisci ultimarum voluntatum executionem urgere. Interim tamen non prohibendos penitus esse Inspectores vel superintendentes, quo minus illam executionem monendo urgeant, & si nihil profecerint, rem Consistorio denunciare possint; Et in Marchia demandatam esse hanc curam ordinariis magistratibus probat ex Rec. Prov. March. d. A. 1653. §. 7. verb. Solte nun jemand aus christlichen Hertzen und Gemüthe etwas denen Kirchen und piis causis legiren/ sollen so wohl der magistratus ordinarius, als auch die Executores Testamenti, jedoch zuforderst deducto ære alieno, darüber halten. De alimentis idem, quod de aliis piis causis, dici posse videtur, quorum tamen caussam mere temporalem existimat Cevall. *qv. 53. 155.* Porro assassinium ad utrumque pertinere forum docent Pontificii Tondut *P. 2. c. 28. n. 4. seqq.* nec non violatores Virginum

ginum & Sanctimonialium. Mart. *P. 2. c. 26.* item Crimen fractæ pacis. Tondut *P. 2. c. 29. n. 27.* Incendiarii. Mart. *P. 2. c. 25.* falsificatio Literarum Apostolicarum *c. l. c. 28.* si quis se fingat clericum, cum sit laicus. Tondut. *P. 2. c. 29. n. 42.* vel clericum percutiat Christin. *V. 2. d. 32.* Sed inter Protestantes has causas ad judicium ecclesiasticum frustra retuleris.

§. XXV.

Per denunciationem, quam vocant Evangelicam, omnes Laicorum causæ ad Judicium Ecclesiasticum trahi possunt. Sedem suam illa habet in *cap. novit ille 13. X. de judic.* eamque, ex hypothesibus papalibus, plenius etiam exposuit Gothofred. de Jena in *tract. de SCto Macedon. Sect. 4.* Canonistæ eam in S. Scriptura *Matth. XVIII, 15. Luc. XVII, 3.* fundatam esse persvadere cupiunt; sed nemo præjudiciis vacuus, hoc facile crediderit: Nam denunciatio vere Evangelica ultra amicas admonitiones non assurgit, sed denunciatio papalis, ad modum judicii humani formatur, ac judicata violenter exequitur, hinc non obscure liquet, eam, ex rationibus status clericalis pontificii, ad turbanda & evertenda judicia secularia, Laicosque subjugandos, esse introductam. Ex quo facile decidi poterit quæstio, an denunciationis papalis inter Protestantes aliquis sit usus? Ita quidem putat Jena *d. tract. Sect. 4. aph. 7. n. 44. seqq.* ideo potissimum 1) quod illa sit in S. Scriptura fundata, & 2) si habent meliorem religionem A. C. addicti, quod debeant opera charitatis, active & passive magis exercere, nec conscientiæ recte informatæ stimulos negligere. Non raro etiam Brunnemannus ad illam, velut ultimum subsidium, quo, omnibus aliis remediis destituti, uti possint, provocat v. *J. E. l. 3. c. 6. §. 9.* & *Comment. ad Pand. ad l. 36. fam. ercisc. add.* Huber. *Eunom. Roman.* ad *d. l. 36.* Sed mihi certum videtur, statum Territoriorum & Judiciorum Protestan-

teſtantium denunciationem illam papalem non admittere, adeoque nullum ejus eſſe uſum, ac rationes, quas de Jena protulit, ad eam non quadrare.

§. XXVI.

Atque hæc ſunt L. B. quæ pro viribus de Laici foro Eccleſiaſtico proferre potui. Multa adhuc dici potuiſſe, aut ex iis, quæ dicta ſunt, quædam forſitan ſe recte non habere, libenter fateor; Sed omnia, quæ ex diverſis hypotheſibus hic dici ſolent, colligere, eademque cum uſu temporum noſtrorum exacte componere, majoris ſane laboris & experientiæ res eſt, quam ut eam vel modus inſtituti mei ceperit, vel ego illam ex aſſe præſtare potuerim. Quare non dubito, quin Benevolus Lector qualemcunque huncce laborem æqua mente ſit ſuſcepturus, ac ſtudia noſtra favore ſuo dignaturus. DEO autem T. O. M. pro ineffabilis ſuæ gratiæ ad omnes noſtros conatus conceſſione Clementiſſima ſit laus, honor & gloria.

F I N I S.